EMENDATIONES IN GRAMMATICIS GRAECIS.

(*Continuantur e Mnem.* III. 378.)

Ἔργον οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργείη δέ τ᾽ ὄνειδος. Verissimam prisci poetae sententiam recordatus vix vereor, ne quis mihi obiiciat, in futilibus pessimaeque notae emendandis scriptoribus oleum et operam me perdidisse. At expertus scio, idem, quod mirifice eum alliciat et suspensum teneat, qui in legendo et emendando occupatus est, non eandem iis parere iucunditatem, qui eius inventa legentes perlustrent. Atque monuit me vir, quo non habeo quem pluris faciam et magis diligam, cuius consilia libentius audiam et sequar, cavendum esse, ne illis, quas habet ipsum emendandi munus, inventionum dixerim, illecebris irretiamur; quibus si praecipites nos demus, fieri posse, ut longo eius generis scriptorum usu hebetiores facti non amplius persentiscamus, quanto intervallo ab iis distent, qui sententiarum gravitate praecellentes, suavitate perfusi et gratiis, omnibus omnino orationis luminibus fulgentes et distincti, tamquam rite cogitandi, bene dicendi scribendique exemplaria hodieque merito praedicantur. Verissimum profecto est, quod ille me monuit. Mirifice nobis ipsi placemus atque aliquid effecisse nobis videmur, si unius e Grammaticorum filiis *μελετήματα* a librariorum peccatis vindicavimus. Utilissima sane res est, nobis saltem utilissima, qui ea ingenii exercitatione instruimur atque paramur ad graviora nobilioraque certamina. Illa demum, quae inde nascitur, est vera laus, *καὶ τῷ ὄντι καλὸς οὗτος καὶ ἀξιονικότατος εὐκλείας ἀγών τε καὶ στέφανος*, neque eo aspirare nec escendere potest, qui totum se illius generis scriptoribus dedat, *μικρὰ καὶ δουλοπρεπῆ φρονῶν καὶ ἐπιτηδεύων παρ᾽ ὅλον τὸν βίον*, ut iterum Longini verbis loquar. Qua via ad istud scriptorum

genus equidem fuerim delapsus, indicavi. Cyrilli codicem, in quem forte fortuna incideram, perlustrans, mox vidi, nubem pro Iunone me esse amplexum. Sed quae in Grammatici nugis perlegendis atque cum ὁμοιοτρόπων operibus comparandis ἐν παρόδῳ corrigere contigit, eorum edere pergam quae et aliis videntur haud omnino inutilia esse, mox ad fontes rediturus unde illi doctrinam suam hauserunt, quique etiam nobis limpidam haud secus atque illis undam praebent.

Supra iam paucis quibusdam exemplis demonstravi, corruptarum glossarum haud raro eam fuisse causam, ut unius initio alterius finis additus, itaque haec capite, cauda illa trunca atque mutila evaserit. Novam iam scribendi opportunitatem nactus eius vitii generis novas quasdam species producam. Bekkeri, *Anecd.* pag. 322. 10 haecce legitur glossa: Ἀβου: βάλλει, θορυβεῖ. Corrupto primo vocabulo quid substituendum esset quum frustra cogitassem, alia via ad verum mihi visum est posse perveniri, statuendo, duarum glossarum fragmenta invita Minerva coagmentata atque hoc modo secernenda, supplenda et disponenda esse:

Ἀβουλεί * * *

Ἄβρομοι· βάλλοντες, θορυβοῦντες.

Potueram e Suida addere vocabuli ἀβουλεί *Graecam* interpretationem, sed nil opus est. Ἄβρομοι est glossa Homerica, quae pertinet ad *Il.* Δ. 41. De vocabuli rarioris significatu lis fuit Grammaticorum, his (quorum e numero unus est Hesychius) ἀβρόμους esse χωρὶς βρόμου praecipientibus, illis, Aristarchi nisis auctoritate, esse τοὺς θορυβοῦντας affirmantibus. Quam vere Aristarchi assertionem Lehrs, de Aristarchi *studiis Homericis*, pag. 147, inter ea illustrissimi critici inventa recenset, quae ridicula vel falsa vel nimium incerta videntur. Ita satis probabiliter de corrupta glossa mihi videbar disputasse, quum amicissimus Naber suam de loco instaurando sententiam mecum communicaret. Scilicet illi unum vocabulum ἀβου corruptum videtur, cui substituendum esse arbitratur, quod Hesychius suppeditat i. v., ἀβουσκολεῖ. Haud adeo meorum sum amator, quin illius emendationem coniecturae meae praeferam. Unum

est, quod illi videtur adversari; *βάλλει* abundat. Ideo vix nimiae audaciae coarguar, si coniicio *βάλλει* vocabuli *ἀβουσκολεῖ* alterius partis in locum substitutum itaque legendum esse: *ἀβουσκολεῖ· θορυβεῖ.* — Pag. 336. 30 vocabula *ἀγέλαστα δὲ πρόσωπα. Αἰσχύλος*, glossae *ἀγέλας πόνων* assuta alieno loco intrusa esse supra iam indicavi, nec tamen ostendi, unde decerpta fuerint. Casu nescio quo huc delata atque loco suo restituenda sunt pag. 337. 8. Itaque quae ibi leguntur *Αἰσχύλος δέ φησι καὶ φρὴν ἀγέλαστος*, receptis vocabulis, quae solum verterant, ita fere instaurentur: *Ἀγέλαστα δὲ πρόσωπα Αἰσχύλος φησὶ καὶ φρὴν ἀγέλαστος.* — Pag. 352. 32. *Ἀθάριοι: οἱ μὴ διαπεπαρθενευμένοι, τινὲς δὲ οἱ μὴ δεδεμένοι ἄρθρου.* Glossa totidem verbis apud Hesychium legitur. Sed non video, quo pacto extrema vocabula inde a *τινές* explicationem admittant, quae cum lemmate ullo modo coire possit. Videtur alterum lemma excidisse, cuius explicandi gratia illa adiecta fuerant, fortasse *Ἄναρθροι.* — Pag. 360. 10: *Αἰαί: ἀκόντιον Ἀθήνησι, καὶ τοῦ Αἰάκου τέμενος.* Restituit locum Cobetus *V. L.* pag. 87. A quo, Suida aliisque consultis eo nomine licebit discedere, ut *αἰαί* glossae, quae facta est evanida, lemmatis vestigia continere atque ita olim lectum fuisse credamus:

Αἰαία· [νῆσος].
Αἰακεῖον· τὸ Ἀθήνησι τοῦ Αἰακοῦ τέμενος.

Librarii oculis ab uno versu ad alterum delapsis pag. 361. 7 vocabula *θεῶν αἰειγενετάων* suo loco mota sunt, inserenda ea pag. 361. 4: *Αἰειγενετάων· θεῶν αἰειγενετάων, διὰ παντὸς ὄντων κτέ.* Neque ab editore relinquendus erat turpis eiusdem generis error pag. 396. 27, ubi editur: *Ἀνεκαλέσατο, ἀνεθέρισεν*, at edi debuerat:

Ἀνεκαλέσατο· ...
Ἀνεκαλάμησεν· ἀνεθέρισεν.

Librarios eadem socordia, qua haud ita magno literarum detrimento lexicographorum scripta depingebant, in alios quoque grassatos esse atque optimo cuique *Graecorum* et *Latinorum* scriptorum non pepercisse, diu est ex quo apud omnes constat. At aliquanto facilius est, apud Grammaticos Lexicographosque eadem vitia cernere et corrigere, quae apud illos diu nos fugiunt atque ludificantur. Apponam et hic, et si quo

alio loco melioris notae scriptoribus eiusdem generis correctiones sunt in promptu, quibus taedium, quod e Grammaticorum continua lectione oriri solet, evitetur.

Complures corruptos Sophoclis locos, quibus turbatus verborum ordo corruptelae ansam dederat, Th. Bergkius, qua est sagacitate, ad salutem revocavit, nullum, si quid video, feliciore eventu, quam *Trachin.* 696 et 698:

τῆς οἰὸς, ᾧ προὔχριον, ἐς μέσην φλόγα
ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν· ὡς δ' ἐθάλπετο
ῥεῖ πᾶν ἄδηλον καὶ κατέψηκται χθονί.

Illum si audis pro *φλόγα* restituendum est *χθόνα* et *φλογί* pro *χθονί*; et mihi quidem ita Sophoclis ipsius manum videtur revocasse. Apud Thucydidem IV. 4: *ὡς δὲ οὐκ ἔπειθεν οὔτε τοὺς στρατηγοὺς οὔτε τοὺς στρατιώτας, ὕστερον καὶ τοὺς ταξιάρχους κοινώσας, ἡσύχαζεν ὑπὸ ἀπλοίας, μέχρι αὐτοῖς τοῖς στρατιώταις σχολάζουσιν ὁρμὴ ἐνέπεσε περιστᾶσιν ἐκτειχίσαι τὸ χωρίον*, rem accuratius consideranti vix dubium esse potest, quin vocabula *ὑπὸ ἀπλοίας* post *σχολάζουσιν* olim collocata infelici casu inde migrare fuerint iussa. *Icaromenippi Lucianei* 8 finis ita audit: *Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ παμπόλλους τινὰς εἶναι τοὺς κόσμους ἀπεφαίνοντο καὶ τῶν ὡς περὶ ἑνὸς αὐτῶν* (leg. *αὐτοῦ*) *διαλεγομένων κατεγίγνωσκον. Ἕτερος δέ τις οὐκ εἰρηνικὸς ἀνὴρ πόλεμον τῶν ὅλων πατέρα εἶναι ἐδόξαζεν.* At mihi quidem persuasum est (id quod sentiri potius, quam demonstrari potest), sententiam illam inde ab *ἕτερος*, sede, quam ipse Lucianus eam occupare voluerat, a somnolento librario fuisse eiectam. Multo saltem aptiore loco legetur ante amici responsum post vocabula *Καίτοι πρό γε τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως ἀδύνατον καὶ χρόνον καὶ τόπον ἐπινοεῖν.* Leve est, sed ex eodem profluens fonte, quod vitium toleratur in eiusdem *Iove Trag.* 10. Hermes in eo est, ut Diis sedes distribuat, *κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστῳ, ὡς ἂν ὕλης ἢ τέχνης ἔχῃ.* Aphrodita, auream se esse gloriata, in primis subselliis locum sibi vindicat. Cui Hermes: *Οὐχ, ὅσα γε, ὦ Ἀφροδίτη, κἀμὲ ὁρᾶν, ἀλλ' εἰ μὴ πάνυ λημῶ, λίθου τοῦ λευκοῦ Πεντέληθεν, οἶμαι, λιθοτομηθεῖσα, εἶτα δόξαν οὕτω Πραξιτέλει Ἀφροδίτη γενομένη Κνιδίοις παρεδόθης.* At Lucianus scripserat *λίθου λευκοῦ τοῦ Πεντέληθεν.* Addo Aphroditae responsum, ut eadem opera ridiculum emblema Luciano exi-

mam. Καὶ μὴν, illa suaviter respondet, *ἀξιόπιστόν σοι μάρτυρα τὸν Ὅμηρον παρέξομαι ἄνω καὶ κάτω τῶν ῥαψῳδιῶν χρυσῆν με [τὴν Ἀφροδίτην] εἶναι λέγοντα.* Quis enim vocabula uncis a me inclusa ab ipso LUCIANO profecta esse serio contendat?

Affine est errorum genus, quum librarii, calamo festinante nec solliciti de literarum vocabulorumque, quae transscriberent, sententia, integra vocabula vel vocabulorum partes praeterviderunt et omiserunt. Quod identidem accidit, qui librum descripsit, in quo versamur emendando. Pag. 356. 6: *Αἱμασία, τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον. Κυρίως δὲ τοῖς ἠκανθωμένοις λέγεται φραγμοῖς ἢ τινες ἄρπ... ον.. καὶ οἱ Ἴωνες οὕτω χρῶνται.* Quae sic restituo: *Κυρίως δ' ἐπὶ τῶν ἠκανθωμένων λέγεται φραγμῶν, οὓς τινες ἄρπεζον [καλοῦσιν?]· καὶ οἱ Ἴωνες οὕτω χρῶνται.* Cf. NICAND. *Ther.* 284 et HESYCH. i. v. *Ἀρπέζας· τοὺς αἱμασιώδεις τόπους* (qui hanc doctrinam suam NICANDRO acceptam refert; ille enim l. l. in enumerandis *δάκεος αἱμορρόου σημείοις* desudat), *οἱ δὲ τείχη καὶ περιβόλους· οἱ δὲ τὰ κλημακώδη* (leg. e SALMASII emendatione *κλιμακώδη*) *χωρία.* — Pag. 377. 29: *Ἀλκυονίδες ἡμέραι· περὶ τοῦ ἀριθμοῦ διαφέρονται . . . . τὸν δὲ ἐπ' αὐταῖς μῦθον Ἀγήσανδρος ἐν τοῖς περὶ ὑπομνήματι λέγει οὕτως* (apud SUIDAM eadem leguntur; at pro *Ἀγήσανδρος* editum est *Ἡγήσανδρος*). *Ἀλκυόνεως τοῦ γίγαντος θυγατέρες ἦσαν Φθονία, Χθονία* (SUID. duobus nominibus in unum contractis *Φωσθονία*, nomen aliunde, si recte iudico, non notum, sed alteri lectioni praeferendum ob numerum Alcyonidum, quas undecim aut novem aut septem fuisse manifesto traditum est), *Ἄνθη, Μεθώνη, Ἀλκίππα, Παλλίνη* (leg. *Παλλήνη*), *Δριμώ, Ἀστερίη.* Scriptorem, quo teste utitur Grammaticus, *Hegesandrum* fuisse, SUIDAS nos docet, sed eadem apud illum est, quae apud nostrum, lacuna. Fuit ille HEGESANDER Delphus, cuius *ὑπομνήματα* passim excitat ATHENAEUS, uno loco, V. pag. 210 B. *τὸ περὶ ἀγαλμάτων καὶ ἀνδριάντων ὑπόμνημα.* Haud aliter atque ANAXANDRIDES DELPHUS, cuius nomini famaeque egregie consuluit vir doctissimus J. G. HULLEMAN, exposuisse videtur singulari libello (nam *ὑπομνήματα*, quod ex fragmentis ab ATHENAEO servatis luculenter satis apparet, prorsus diversi fuerunt argumenti) de statuis imagini-

busque Delphico Deo consecratis. Alcyonides autem, quo vinculo cum Delphico oraculo fuerint coniunctae, ita ut HEGESANDER illum componens libellum in earum mentionem potuerit incidere, quum evidenter demonstrari nequeat, tum aliquantum lucis rei obscurae porrigit SERVII locus ad VIRG. *Georg*. I. 399, quem integrum adscribam: *Ceyx filius Luciferi habuit uxorem Halcyonem: a qua quum prohibitus esset ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cuius corpus quum ad uxorem delatum fuisset, illa se praecipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt in aves marinas, quae halcyones vocantur*[1]. Locum autem Grammatici ita iam suspicor emendandum esse: τὸν δὲ ἐπ' αὐταῖς μῦθον Ἡγήσανδρος ἐν τῷ περὶ ἀγαλμάτων καὶ ἀνδριάντων ὑπομνήματι λέγει οὕτως. In iis, quae statim sequuntur, αὗται μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν ἀπὸ Καναστραίου, ὅ ἐστιν ἄκρον τῆς Πελλόνης, ἔρριψαν αὑτὰς ἐς τὴν θάλασσαν, legatur τῆς Παλλήνης. Laterem lavaret, qui data opera tamquam novum inventum poneret, in nominibus propriis potissimum apparere, quam plumbea librariorum natio fuerit. Decantata iam diu illa est querela; Graecos scriptores, imprimis quales sunt STEPHANUS BYZANTIUS, PAUSANIAS, legenti in dies nova succrescit documentorum moles. Quae tacito corrigere corrupta nomina praestat, quam novis librarios conviciis vexando, quod PLAUTUS dicit, lapides verberare. Nolo cumulare exempla; pauca ex *Anecdotis*, quae BEKKERUS corrigenda reliquit, producam, quibus alia quaedam accedant hinc illinc decerpta. Pag. 342. 8: Ἀδραστοῦ τοῦ παλαιοῦ. Veram lectionem τοῦ Ταλαοῦ SUIDAS suppeditat. Ut hoc loco adiectivum nominis proprii locum occupavit, ita aliis locis nomina propria

---

[1] Eodem fere modo fabulam narrat, qui *Halcyonem* dialogum conscripsit; nam utrum LUCIANI sit an PLATONIS lis adhuc est sub iudice. Quam haud facile ita quis componet, ut LUCIANI esse pro certo constet, PLATONIS non esse haud ita difficile mihi esse videtur demonstratu. Apponam locum *Halcyon*. cap. 1, quippe qui et in LUCIANI et in PLATONIS editionibus gravi vitio prematur: φασὶ γυναῖκά ποτε οὖσαν Αἰόλου τοῦ Ἕλληνος θυγατέρα κουρίδιον ἄνδρα τὸν αὑτῆς τεθνεῶτα θρηνεῖν πόθῳ φιλίας, Κήϋκα τὸν Τραχίνιον τοῦ Ἑωσφόρου. At scripserat, quicumque scripsit, ὁμιλίας.

in adiectivorum sedem subrepserunt. In *Anonymi tractatu de mulieribus* (14) ONOMARIS quaedam, *Galatia* oriunda, quum populares in eo essent, ut miserie oppressi, solum verterent, sola restitit, et *μηδενὸς τῶν ἀνδρῶν θέλοντος τήν τε* Ἀσίαν *πᾶσαν εἰς μέσον ἔθηκεν.* Sed haec rerum mirabilium isto libello narratarum haud dubie maxime mirabilis fuisset; illa *τὴν* οὐσίαν *πᾶσαν εἰς μέσον ἔθηκεν.* Ita iam diu recipi debuerat PIERSONI egregia emendatio in PALAEPHATO, 7: *ἐθρύλουν δὲ οἱ πολῖται λέγοντες· Σφὶγξ ἡμᾶς ἡ* Ἄργεια *αἴνιγμά τι λέγουσα διαρπάζει.* At ille, plaudente VALCKENAERIO, *ἡ* ἀγρία restituerat. Pag. 380. 1: excitatur Κράτης Παιδιαῖς, pag. 386. 7: Ἀριστοφάνης *ἐν* Ταλμισσεῦσιν. — Pag. 382. 2: *ἄλφα δὲ καλεῖται καὶ ὁ Ὄσιρις ὑπὸ* Βιβλίων. Leg. Βυβλίων — Pag. 378. 11: Ἀλκμαιωνίδαι: *γένος ἐστὶν ἐπιφανὲς Ἀθήνησιν, ἀπὸ* Ἀλκμᾶνος, l. Ἀλκμαίωνος. In *Antiatticista* pag. 101. 6: in glossa etiam alio nomine scabra: Κόβαλος: *ὁ* σκιραπώδης *καὶ ἀειδής·* Ἀρίσταρχος Βατράχοις, solemni vitio ARISTOPHANIS nomen cum ARISTARCHO est commutatum. Est locus ille ARISTOPHANIS *Ran.* 1015. Sed labem contraxit vocabulum *σκιραπώδης.* Κοβάλους istos e comitibus Dionysi fuisse auctor est *Schol.* ARIST. *Plut.* 279 (praeterea HARPOCRATION, SUIDAS, alii). Itaque videtur legendum esse *πριαπώδης.* Apud PHOTIUM 402. 2: Pataecionis (Παταικίων) nebulonum inclytissimi nomen in Πατεκίωνα abiit. Idem pag. 407. 10 creditur memoriae prodidisse, Πελαργικόν appellatum fuisse munimentum a *tyrannis* Athenis exstructum. Πελαργικὸν, *τὸ ὑπὸ τῶν* τυράννων *κατασκευασθὲν τῆς ἀκροπόλεως τεῖχος· τούτους γὰρ κληθῆναι πελαργοὺς, οἷον* Πελασγοὺς, *ὡς πλανήτας τινάς.* Quod credit qui poterit, dummodo nobis liceat, tyrannos in Tyrrhenos mutare legendo *ὑπὸ τῶν* Τυρρηνῶν. Cf. BEKKER. *Anecdot.* I, pag. 299 et HESYCH. i. v. Πελασγικόν, ubi ipsum lemma in Πελαργικόν mutandum erit. *Clariotae* apud eundem PHOTIUM appellantur Καλαριῶται (pag. 410. 2), *Pherecrates* (pag. 648. 1) *Philocrates*, *Philochorus* (pag. 667. 23) *Philochanes.* Alitur hodieque apud *Schol.* ARIST. *Equitt.* 55 vitium, quod nemini non repertum, sed nemini, quantum quidem sciam, e medio sit sublatum. Sermo est de Pylo: *ἔνθα καὶ Λεωνίδας πρότερον τῶν* Μακεδόνων *βασιλεὺς ἅμα* καὶ *Σπαρτιατῶν ἀντέστη Ξέρξῃ,*

τῷ τῶν Περσῶν βασιλεῖ. Quid multa? Scriptum erat τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἅμα τ' Σπαρτιατῶν κτέ. *Schol. Equitt.* 1302 Καρχηδών appellatur πόλις Θρᾴκης, licet apud Aristophanem ipsum recte legatur Καλχηδών. *Scholiastes Homericus Il.* E. 533 excitat *Cratetem* Πυτίνῃ. Idem novae prorsus inauditaeque rei auctor est ad *Il.* Z. 311: Οἱ 'Αζιαῖοι ἀγάλματά τινα ξυλίνα τῇ 'Αθηνᾷ καθίδρυον. At τοὺς 'Αθηναίους hasce ligneas Athenae statuas dedicasse, vel sine Codicis auctoritate, quae hoc loco non desideratur, facile crederemus. Ut Valckenaerius in *Ep. ad Roever.* p. xxxvi in *Etymologi* (pag. 512. 40) corruptis verbis τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν Παρύλαν ἐρέουσι Κιανοί Apollonii Rhodii *Argon.* I. 1354 versum restituit legendo:

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοί, ita *Scholiastae* Apoll. Rhod. IV. 269 (ad Heracl. *Alleg. Hom.* pag. 112), ubi legebatur εἰλουμένη δὲ καλλιπάρθενος ῥοή, reddidi Euripidis versum, qui primus est *Helenae*:

Νείλου μὲν ἥδε καλλιπάρθενος ῥοή.

Apud Thucydidem *Thrasymelidae* appellantur,. quibus nomen erat Θρασυμηδείδων. *Druidae* ante Bekkerum apud Diodorum Siculum Σαρουῖδαι audiebant. *Pacatae* in Luciani *Imagg.* 7 fit mentio, cui verum nomen, Παγκάστη, ex Aeliano, *Var. H.* XII. 34 nuperrime restituit Cobetus *Var. Lectt.* pag. 151. Plutarchus, *de Mulierum virtutibus* 23, mentionem inhibet de Pore*dorace* (vel potius Pore*dorice*) quodam, qui, τό τε σῶμα ῥωμαλέος, τήν τε ψυχὴν διαφέρων, Τοσιωπῶν, si Dis placet, erat τριηράρχος. At rescribendum est, quod idem me docuit Cobetus, Τρόκμων. In eiusdem scriptoris *Quaestt. Roman.* 20 de Φιλοινίᾳ matronae cuiusdam Romanae certiores fimus. Fuit illa uxor haruspicis *Faulii*, si librariis fides est habenda; at nobis (quod in versionem Latinam receptum, sed Graeco textui ab editoribus nondum insertum est) licebit *Faunum* (ΦΑΥΝΟΣ — ΦΑΥΛΙΟΣ) eundem appellare. Apud Aelianum, *Var. Hist.* I. 21 nota illa refertur fabula de Ismenia Thebano, qui χωρὶς αἰσχύνης regem Persarum adoravit. Certior fit de isto προσκυνήσεως more per Tithraustem: 'Αλλ' ὦ ξεῖνε Θηβαῖε (ἔλεγε δὲ ταῦτα παίζων δι' ἑρμήνεως, Τιθραύστης δ' ἦν ὄνομα τῷ χιλιάρχῳ) νόμος ἐστὶν ἐπιχώριος Πέρσαις, τὸν εἰς ὀφθαλμοὺς ἐλθόντα τοῦ βασιλέως, μὴ πρότερον λόγου μεταλαγχάνειν, πρὶν ἢ προσκυνῆσαι αὐτόν. Ineptum est

vocabulum *παίζων*. Perizonius *πειράζων* vel *πείθων* vel *πείσων* coniecit, quorum nullum mihi quidem persuasit. Legendum est, si quid video, *Περσίζων*. Est locus Strabonis, VIII p. 362, qui multas editoribus turbas dedit, at mihi evidenti coniectura videtur in integrum posse restitui. Sermo est de Lacedaemoniorum cum Messeniis bellis. *Πλεονάκις δ' ἐπολέμησαν διὰ τὰς ἀποστάσεις τῶν Μεσσηνίων· τὴν μὲν οὖν πρώτην κατάκτησιν αὐτῶν φησὶ Τυρταῖος ἐν τοῖς ποιήμασι κατὰ τοὺς τῶν πατέρων πατέρας γενέσθαι· τὴν δὲ δευτέραν, καθ' ἣν ἑλόμενοι συμμάχους Ἀργείους τε καὶ Ἠλείους καὶ Πισάτας ἀπέστησαν, Ἀρκάδων μὲν Ἀριστοκράτην τὸν Ὀρχομένου βασιλέα παρεχομένων στρατηγὸν, Πισατῶν δὲ Πανταλέοντα τὸν Ὀμφαλίωνος, ἡνίκα φησὶν αὐτὸς στρατηγῆσαι τὸν πόλεμον τοῖς Λακεδαιμονίοις.* Kramerus pro *Ἠλείους* suasit *Ἀρκάδας* legendum esse. Quum vero ex ipsius Strabonis verbis satis certo colligi possit, duas, nec tres fuisse gentes, quae Messeniis opem tulissent, locum ita constituendum esse censeo, ut pro *Ἀργείων* legatur *Ἀρκάδων*, et *Ἠλείων* tamquam male seduli lectoris emblema abiiciatur. Quod cur additum fuerit non ita difficile est indagare. Duae erant urbes, *Πῖσα* appellatae, altera in Elide, altera in Etruria sita. Utriusque cives *Πισάται* vocabantur (cf. Strab. V. 217. 222). Iam ne quis de Tuscis istis Pisatis cogitet, eos Messeniis opem tulisse, a quodam *Ἠλείων* vel *τῶν Ἠλείων* suprascriptum erat, quod insulsum emblema ipsis Strabonis verbis est admistum. Itaque locus sic emendetur: *καθ' ἣν ἑλόμενοι συμμάχους Ἀρκάδας τε καὶ Πισάτας ἀπέστησαν.* Unam mihi reservavi, ut finem aliquando facerem, speciosam Valckenaerii ineditam emendationem in Pausaniae loco, *Eliac.* V. 15. 4: *βωμός ἐστιν Ἀπόλλωνος Θερμίου· τὸν μὲν δὴ παρ' Ἠλείοις Θέρμιον καὶ αὐτῷ μοι παρίστατο εἰκάζειν ὡς κατὰ Ἀτθίδα γλῶσσαν εἴη Θέρμιον.* Quantocius cum illo legendum est *Θεαρίου Θεάριον — Θεώριον.*

Sed tandem aliquando redeundum unde sum exspatiatus, tandem aliquando tela aliquantisper intermissa erit pertexenda. Itaque paucula quaedam lacunarum facili negotio explendarum quum ex *Anecdotis* tum aliunde petita exempla accedant. Pag. 384. 24: *Ἀλκαία: ἡ οὐρὰ τοῦ ζῴου, κυρίως δὲ τοῦ λέοντος, ὅ ἐστι κνήθειν.* Desiderantur nonnulla inter

λέοντος et ὅ. Iam Grammaticorum, qualis noster est, moris memores, vocabulis, quae in thesauros a se conflatos receperunt, etymologicam interpretationem addendi, quid hoc loco interierit, ambigere vix poterimus. Scriptum erat nimirum: *κυρίως δὲ τοῦ λέοντος, ἀπὸ τοῦ ἀλκάθειν, ὅ ἐστι κνήθειν.* Manifesto tenetur alia fraus scribae pag. 339. 22: Ἀμφίθετος: *κατὰ πᾶν μέρος αὐτῆς τιθεμένη, ἀπύθμενος*, ubi *αὐτῆς* non habet, quo referatur. Est λέξις κωμική, sed periit post *ἀμφίθετος* vox *φιάλη*. Comicis vocabulum saepenumero usurpatum fuisse, docet nos ATHENAEUS, qui XI. pag. 501 multus est in variis Grammaticorum illius vocis congerendis explicationibus. Praeterea cf. LEHRS, *Aristarch.* pag. 155.

Eadem opera redintegrare conabor SUIDAE locum i. v. Σκολιόν, qui in antiquioribus ARISTOPHANIS editionibus (ALD.) scholiis ad *Vesp.* 1239 additus erat, sed a DUEBNERO merito repudiatus est. Apud SUIDAM haec leguntur: *σκολιόν: ἡ παροίνιος ᾠδή, ὡς μὲν Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν, τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων ὡς ἔτυχε τῇ τάξει, ὃ δὴ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν· ὡς δ' Ἀριστόξενος κτέ.* Sed SUIDAS alienis fontibus hortulos suos irrigavit; omnem enim suam, quam hoc loco ostentat, doctrinam mutuatus est a *Scholiasta* PLATONIS *Gorg.* p. 451. D. HERMANNUS, novissimus *Scholiorum Platonicorum* editor, prudenter post *ᾀδόμενον* lacunae indicium apponi iussit. Manifestum enim est, de tribus carminum convivalium generibus duo tantum enumerari. Supplendae lacunae periculum non fecit. Nec tamen ita difficile est, scriptoris sententiam redintegrare, quin aliquam saltem partem ipsam eius manum revocare. Ita fere suspicor olim lectum fuisse: *τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον, τὸ δὲ ὑπὸ πάντων μὲν ᾀδόμενον, ἀλλὰ καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δὲ ὑπὸ τῶν συνετωτάτων ὡς ἔτυχε τῇ τάξει.* Librarii oculi a priore *ᾀδόμενον* ad posterius videntur delapsi esse. Tria igitur fuere carminum genera, primum, quod omnes simul canebant; alterum, quod omnes, sed deinceps canebant, tertium denique, cui canendo *οἱ συνετοί* tantum pares erant. Atque ita revera fuisse, alterum, quod aetatem tulit, testimonium ARTEMONIS *Casandrensis* confirmat, cuius verba ex secundo *χρήσεως* libro servavit ATHE-

NAEUS, XV. pag. 694. A: Ἀλλὰ τριῶν γενῶν ὄντων, ὥς φησιν Ἀρτέμων ὁ Κασανδρεὺς, ἐν δευτέρῳ βιβλίων χρήσεως, ἐν οἷς τὰ περὶ τὰς συνουσίας ἦν ᾀδόμενα, ὧν τὸ μὲν πρῶτον ἦν ὃ δὴ πάντας ᾄδειν νόμος ἦν, τὸ δὲ δεύτερον, ὃ δὴ πάντες μὲν ᾖδον, οὐ μὴν ἀλλά γε κατά τινα περίοδον ἐξ ὑποδοχῆς, τρίτον δὲ καὶ τὴν ἐπὶ πᾶσι τάξιν ἔχον, οὗ μετεῖχον οὐκέτι πάντες, ἀλλ' οἱ συνετοὶ δοκοῦντες εἶναι μόνοι κτέ. In iis, quae apud *Schol.* PLAT. *Gorg.* et SUIDAM sequuntur: ὡς δὴ Ἀριστόξενος καὶ Φύλλις ὁ μουσικὸς, ὅτι ἐν τοῖς γάμοις περὶ μίαν τράπεζαν πολλὰς κλινὰς τιθέντες, παρὰ μέρος ἑξῆς μυρρίνας ἔχοντες ἢ δάφνας, ᾖδον γνώμας καὶ ἐρωτικὰ σύντονα, extremum vocabulum medica manu videtur egere. Quo enim iure erotica carmina σύντονα appellari possint, non exputo. Vel ex iis talium carminum reliquiis, quibus ATHENAEUS libros suos, praesertim loco modo laudato, distinxit, mihi quidem certissimum est, una literula mutata, legendum esse ἐρωτικὰ σύντομα. — Apud PHOTIUM, pag. 571. 19 CRATINI versus laudatur ex *Horis*, qui, id quod Grammaticus disertis verbis addit, in proverbium abierat: Ταῦτα πράσσων φάσκ' ἀνὴρ οὐδὲν ποιῶν: Κρατῖνος Ὥραις· ἡ γὰρ παροιμία ἐπὶ τῶν μηδὲν ποιούντων. Apud SUIDAM idem paullo emendatius legitur. Pro πράσσων enim πράσσω editum est. Sed vel sic tamen loci lepos periit, quem revocabis atque simul resarcies versum ἀκέφαλον legendo:

Τί ταῦτα πράσσω, φάσκ' ἀνὴρ οὐδὲν ποιῶν.

Apud LUCIANUM saepe hac eadem chorda aberratum est. In *Timone*, 8, Hermes de Timone haecce Iovi refert: Διὰ ταῦτα δικελλίτης καὶ διφθερίτης, ὡς ὁρᾷς, ἀπολιπὼν ὑπ' αἰσχύνης τὸ ἄστυ μισθοῦ γεωργεῖ μελαγχολῶν τοῖς κακοῖς, ὅτι οἱ πλουτοῦντες παρ' αὐτοῦ μάλα ὑπεροπτικῶς παρέρχονται, οὐδὲ τοὔνομα, εἰ Τίμων καλοῖτο, εἰδότες. At optime Timonis nomen noverant; fingebant modo simulabantque, se nescire. Scripserat LUCIANUS εἰδέναι εἰκότες. In *Iove Tragoedo*, suavissimo dialogo, in quem quasi sponte incido, quotiescumque LUCIANUM evolvo, Iupiter, Diis ad concilium convocatis, singulis ὑφ' Ἑρμοῦ λόγον προτίθεται, ut indicent, quo remedio homines ad veterem Deorum reverentiam redigi possint. Heracles, qua est ἀγροικίᾳ porticum Damidi, obtrectatorum duci, iubet iniici, ne in posterum exsecrabilibus contumeliis Deos afficiat. Cui Iupiter (32)

Ἡράκλεις, respondet, ὦ Ἡράκλεις, ἄγροικον τοῦτ' εἴρηκας καὶ δεινῶς Βοιώτιον, ξυναπολέσαι ἑνὶ πονηρῷ ** τοσούτους καὶ προσέτι τὴν στοὰν αὐτῷ Μαραθῶνι καὶ Μιλτιάδῃ καὶ Κυνεγείρῳ. Quo loco lacunae signum appinxi, unum vocabulum videtur periisse, nec aptius excogitari potest, quam *χρηστούς*. Cf. SOPHOCL. *Philoct.* 437: πόλεμος οὐδέν' ἄνδρ' ἑκὼν // αἱρεῖ πονηρὸν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί [2]. In vicinia altera est lacuna, haud difficilior ad supplendum. Iupiter Herculem κατασοφίζεται demonstrando, quidquid ille faceret, non ipsum facere, sed Parcas. Cui ille indignabundus atque valedicturus immortalitati, si talis est Deorum conditio: Οὐκοῦν ἄκουσον, ait, ὦ Ζεῦ, μετὰ παρρησίας. Nihil significat ἀκούειν μετὰ παρρησίας. Hercules dixisse putandus est: ἄκουσον, ὦ Ζεῦ, μετὰ παρρησίας λέγοντος. Cf. § 19 εἴ μοι μετὰ παρρησίας δοθείη λέγειν. Vitii in Grammaticorum scriptis frequentis observatio reditum mihi munitum reddet ad eum locum, a quo peregrinationis initium feci. Haud raro enim, quum vocabulo explicando synonymum apponerent, quod ita plerumque instituebant, ut utrumque vocabulum praepositione ἀντί coniungerent (cf. v. c. PHOTIUS pag. 319. 7: οἴκημα: ἀντὶ τοῦ δεσμωτήριον), haud raro, inquam, in talibus articulus periit et vox synonyma cum praepositione in unum coaluit. *Anecdot.* pag. 446. 2: Ἄρνυσθαι: ἀντικαταλλάσσεσθαι. Leg. ἀντὶ τοῦ καταλλάσσεσθαι. PHOT. pag. 402. 5: Πατάγημα: ἀντίλαλος καὶ πανοῦργος leg. ἀντὶ τοῦ λάλος. Ibid. 508. 1: Σέφθησαν: καὶ οἱ τραγικοὶ, καὶ Πλάτων Φαίδρῳ ἀντεσεβάσθησαν. Leg. ἀντὶ τοῦ ἐσεβάσθησαν. Quae exempla ex unoquoque Lexicographorum nullo negotio augeri poterunt.

Ordine iam percurram λέξεων χρησίμων συναγωγήν et si quid animadversione dignum esse vel emendatione egere videbitur, paucis significabo.

Pag. 322. 19: Ἀβρὸς λειμών: καινότερος καὶ εὐθαλής. Quid legendum esset, collatus SUIDAS primo obtutu editorem docere potuerat. Unum vocabulum in duo dirimatur et Grammatico καὶ νοτερός reddatur. Idem vitium oblinet 528. 20

---

[2] Cf. PLUTARCH. *de Garrul.* pag. 504. B: Ἥδιον γέ τοι πονηροῖς ὁμιλοῦσιν (leg. ὁμιλοῦμεν) ἐπιδεξίοις, ἢ χρηστοῖς ἀδολέσχαις.

in Eupolidis versu: *ἀναθῶμεν νῦν χἠμεῖς τούτοις τὰς διττὰς εἰρεσιώνας*, qui emendatus apud Suidam legitur *τας δὶ τάς*. Sed videtur Bekkerus ad libri a se edendi emendationem ne alios quidem a se iam editos adhibere. Quod si diligenter Suidae textum cum lexicis a se recensitis contulisset, ad eam lucem multa vitia nullo omnino negotio corrigere potuisset. Unum iam eligam, plura mox additurus. Legitur *Anecd.* pag. 324. 26 haecce glossa: *ἀγαστοῦ· θαυμαστοῦ.* Quae apud Suidam ita audit: *ἀγαστός· θαυμαστός. ἀγάστου θανάτου.* Bekkerus sibi visus est fragmenti poetici disiecta tenere membra. Sed collato *Anecdotorum* loco vix dubium esse potest, quin scribendum sit: *ἀγαστός· θαυμαστός· ἀγαστοῦ· θαυμαστοῦ.* Dixeris, a Bekkero editos textus Graecos perlustrans, hic illic *τὸν νοῦν παρόντα ἀποδημῆσαι.* Demonstrabo quinque vel sex ipsorum *Anecdotorum* locis, errores a Bekkero commissos esse, quos committere non potest, qui animum in id, quod legit vel scribit, religiose attendit. In formis non Atticis, quas hic illic odorari sibi visus est *Antiatticistes*, pag. 91. 29: recensetur plusquamperfecti tertia persona *ἐλελήθεισαν*, addita hac explicatione: *διὰ τῆς θ ᾶ. Εὔπολις Αἰξίν.* Quam vellem nosse, qui haec intelligeret. Scriptum erat ni fallor *διὰ τῆς διφθόγγου*, atque compendium, quo librarii hoc vocabulum scribere solebant, corruptelae ansam dedit. *Ibid.* 93. 2: *Ἐδυνάσθην: Ὅμηρος, οὐδὲ δυνάσθη εὖ σχεθέειν.* Nisi ponamus, Grammaticum nihil omnino dicere voluisse, scribendum erit *οὐδ᾽ ἐδυνάσθη*. Pag. 380. 20: *Ἀλύειν: ἔνιοι τὸ μὲν ἐπαίρεσθαι καὶ χαίρειν δασέως ἀξιοῦσι προφέρεσθαι. Ὅμηρος·*

ἦ ῥ᾽ ἀλύεις, ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην:

non opus est longa oratione evincere, *ἀλύεις* scribendum esse. Vix minus turpe est, quod legi pag. 372. 14: *Ἀκουσέτην Σοφοκλῆς ἔφη, ἀκούσεσθαι δὲ Αἰσχύλος.* Scriptum erat *ἀκούσειν*, quod miror Dindorfium (Soph. *Fr.* 821) praetervidisse. Pag. 397. 26: *Ἀνέπαλτο: ἀνέπαλτο.* Ex Suida librarii *παρόραμα* corrigendum erit, *ἀνεπήδησεν* scribendo, nisi qui *ἀνεπάλετο* scriptum fuisse suspicetur, atque Grammaticum indicare voluisse, aoristum a praesenti *ἀναπάλλω* ducendum esse. Agmen claudat locus, qui, ut apud Bekkerum editus est, omnino intelligi non potest, pag. 454. 22: *Ἀστράγαλος: κυρίως τὸ συνή-*

θως λεγόμενον. Καὶ ὁ σφόνδυλος τοῦ τραχήλου, καὶ ὁ πεττικός. καὶ βοτάνη δὲ οὕτω καλεῖται, ἀστραγάλους δὲ οἱ Ἀττικοί. τὸ γὰρ θηλυκὸν Ἰακόν, καὶ παρ' Ὁμήρῳ τινὲς θηλυκῶς, οἷον

νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Sed si ita editur, versus omnino, *εἰ μὴ πάνυ λημῶ*, cerni nequit, nonnullos HOMERI editores feminini generis vocabulum Homerica dialecto fuisse arbitratos esse. Legendum est:

νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλῃσι χολωθείς,

quod confirmatur quantumvis male mulcato *Scholio Homerico* ad *Il.* Ψ. 88: *ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς: αἱ πλείους τῶν κατὰ ἄνδρα ἀμφ' ἀστραγάλῃσιν ἐρύσας* (BEKK. *ἐρίσσας*) *καὶ ἔστιν Ἰωνικώτερον κτέ.*

Pag. 326. 10: *Ἄγεται: τὸ ἡγεῖσθαι καὶ οἴεσθαι* leg. *Ἄγετε: τὸ ἡγεῖσθε καὶ οἴεσθε.* Saepenumero in vocabulorum terminationibus sic peccatum est.

Pag. 326. 24: *Ἄγραι.* Corruptae glossae in integrum restituendae inde a RUHNKENIO, qui primus ad TIM. p. 223 eam e Codice descripserat, varia conamina sunt facta. Clitodemi nomen RUHNKENIUS restituit, cuius vero verba ita emendare, ut de emendationis veritate non possit ambigi, nec illi contigit, nec LENZIO, nec SIEBELISIO, nec MUELLERO. Nec turpe est fateri, nil me corruptis verbis substituere potuisse, quod mihi ipsi satisfecerit. Levia quaedam correxi. In vocabulis *χωρίον ἔξω τῆς πόλεως Ἀθηνῆς* ultimum a mala manu est assutum. Versu 29 pro *Ἄγρης* e *Schol.* PLAT. *Phaedr.* p. 229. B. restituendum est *Ἀγραίας*. V. 28 pro *Ἀρτεμίδος καὶ Ἀγραίας* legatur *τῆς Ἀγραίας*. Pag. 327. 3: in Clitodemi verbis *εἰς τὸ ἱερὸν τὸ μητρῷον τὸ ἐν Ἄγραις*, Attica locutio, quam Grammaticus explicat atque exemplis fulcit, *τὸ ἐν Ἄγρας* est revocanda.

Pag. 327. 5: *Ἀγκωλιάδειν: ἅλλεσθαι, Κρῆτες.* Vocabulum *ἀγκωλιάδειν* nec Creticum est, nec Ionicum nec omnino Graecum. Viam monstrabit altera eiusdem Grammatici glossa pag. 327. 19: *ἀγκύλη: ἡ δεξιὰ χεὶρ ἀπηγκυλωμένη εἰς ἀποκοτταβισμόν.* Inde verbum finxerunt *ἀγκυλίζειν*, quod Dorice *ἀγκυλίδδειν* vel *ἀγκυλίδδην* audiebat; cf. ANACREONT. fragm. apud ATHEN. pag. 427. B. *Σικελὸν κότταβον ἀγκυλίζων.* Eiusdem ge-

neris verbum librarii incuria obscuratum est pag. 452. 18: Ἀσκωλίζοντες: ἐφ' ἑνὸς ποδὸς ἐφαλλόμενοι, χωλαίνοντες. Leg. ἀσκωλιάζοντες. Est *Scholium* PLAT. *Conv.* 190. D. Complura ex istis Scholiis Grammaticus in suum corpus recepit, nec difficile est, multa inde vitia e nostro tollere. Cuius rei exempla aliquot proponam. Pag. 421: Ἀπενιαυτίσαι: φυγὴ ἐπὶ ἐνιαυτόν. Leg. ἀπενιαυτῆσαι; cf. *Schol.* PLAT. *Legg.* XI. pag. 866. C. Pag. 437. 3: Ἀποτεθρυωμένος: ἀπηγριωμένος. Leg. ἀποτεθρυμμένος; cf. *Schol.* PLAT. *Pol.* VI. pag. 495. E. Inde salus affertur etiam PHRYNICHI loco, Σοφ. Προπαρ. pag. 27. 14: ἀνασχινδαλευθῆναι, leg. ἀνασχινδυλευθῆναι, collato *Schol.* PLAT. *Pol.* II. pag. 362. A.

Pag. 327. 21: Ἄγις: εἶδος ποτηρίου. Fortasse legendum est. Αἰακίς, cff. SUID. et HESYCH. i. v.

Pag. 327. 19: ὁ ἀγαστὸς ἐν ἀνδρείᾳ. Leg. ἐπ' ἀνδρ.

Pag. 328. 5: Ἁγιστεύειν: ἁγιάζειν καὶ ἁγιασθέντων ἀφιερωθέντων. Omnia in hac glossa susque deque sunt habita. Quae ita disponenda est: ἁγίζειν: ἁγιστεύειν καὶ ἁγισθέντων ἀφιερωθέντων.

Pag. 328. 9: Ἀγῆλαι. Glossa, quae vitiis scatet, praesertim in Poetarum fragmentis, magnam partem e SUIDA et *Scholiis* EURIPIDIS *Medeae* pag. 270 (ed. COBET) potest redintegrari. Versu 15 PHRYNICHI praeceptum traditum est, quod levi macula inquinatur, quae facile abstergi potest, φεύγειν μὲν οὖν χρὴ τὸ τῶν γλωττῶν, εἰδέναι δὲ εἴη ἀρχαία φωνὴ καὶ σπουδῇ σεμνότητος λόγων χρήσαιο τῷ τοιούτῳ χαρακτῆρι τῶν ὀνομάτων. RUHNKENIUS ad TIM. 4 εἰ ᾗ correxerat, sed videtur legendum esse εἰ ἀρχαία ἡ φωνή.

Pag. 329. 6: Ἀγασικλῆς: ὄνομα κύριον. ὃς λέγεται Ἁλιμουσίοις δεκάσαι καὶ διὰ τοῦτο, ξένος ὤν, ἐγγραφῆναι τῇ πολιτείᾳ. Optime haud dubie haec omnia se habent, sed iis utendum est ad HARPOCRATIONIS SUIDAEque cognominis glossas resarciendas. Haec enim HARPOCRATION i. v. Ἀγασικλῆς: περὶ Ἀγασικλέους Ὑπερίδης λέγει. γέγραπται καὶ Δειναρχῳ λόγος κατ' αὐτοῦ, ἐν ᾧ δεδήλωται, ὅτι Ἁλιμουσίοις συνεδίκαζε. Quantocius revocandum est Ἁλιμουσίους συνεδέκαζε, atque ita novo exemplo confirmatur, quod COBETUS ostendit *Var. Lectt.* pag. 347, verbum δεκάζειν labentis Graecitatis temporibus plane periisse

atque indoctos scribas saepiuscule pro δεκάζειν stolide δικάζειν et συνδικάζειν pro συνδεκάζειν scripsisse. SUIDAS i. v. Ἀγασικλῆς eundem erravit errorem. HYPERIDIS iniecta mentio levi corrigendi mendo pag. 330. 11 ansam praebebit, ubi HYPERIDES excitatur ἐν τῷ περὶ Πολυεύκτου; at erat illa oratio κατὰ Πολυεύκτου.

Pag. 331. 5: Ἄγραφα: ἀδικήματα, ὑπὲρ ὧν νόμος οὐ γέγραπται. Mutata interpunctione leg. ἄγραφα ἀδικήματα: ὑπὲρ ὧν κτέ. — 331. 8: ἀγρόμενοι: συναθροίζοντες. Immo συναθροιζόμενοι. — 331. 15: τὸ δὲ ἀγείρειν καὶ περιαγείρειν τὸ περιμένειν καὶ περινοστεῖν ἐπὶ νίκῃ ἤ τινι ἑτέρῳ σεμνύνειν. Repone σεμνύνοντα.

Pag. 331. 30. Egit de hoc loco COBETUS *Var. Lectt.* pag. XVII. Quod ostendit pro Ἡλίου legendum esse Ἀπόλλωνος SUIDAS collatus i. v. ἀγυιαί confirmat insuper. Corrigam ἐν παρόδῳ LUCIANI locum eiusdem, cuius iam pluries mentionem feci, *Iovis Tragoedi* 22: Ἀλλ' εἰ χρῆ τἀληθῆ λέγειν, καθήμεθα τοῦτο μόνον ἐπιτηροῦντες, εἴ τις θύει καὶ κνισᾷ παρὰ τοὺς βωμούς. Vix operae erat pretium, ut animum in id intenderent Dii, εἴ τις κνισᾷ παρὰ τοὺς βωμούς. Praepositio cancellis erit saepienda vel potius expellenda.

Pag. 336. Ἀγέρωχος ταῦρος: σεμνὸς, ὑπερόπτης, θρασύς. Legendum est sine controversia ἀγέρωχος: γαῦρος κτέ [3]. Literarum T et Γ commutatione nil crebrius; quod novis aliquot exemplis probabo. PHOT. pag. 419. 1: Περίοδος. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς· περιοδικὰ νοσήματα καλοῦσιν οἱ ἰατροὶ τὰ τεταγμένως ἀνιέμενα καὶ αὖθις ἐπιγινόμενα. Voluit PHOTIUS ἐπιτεινόμενα. PHOT. 505. 4: Σηγάνιοι πυροί: οἱ τῷ ἔαρι σπειρόμενοι τριμηναῖοι λέγονται. Sed dicebant σητανίους πυρούς, ut σητάνια μῆλα vel σητάνια ἄλευρα. Apud HESYCHIUM in litera T recensetur Τέλγη. Itaque fraus ipso HESYCHIO videtur antiquior. Le-

[3] Apud HERODOTUM VII. 57: ἔμελλε μὲν ἐλᾶν στρατιὴν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα Ξέρξης ἀγαυρότατα. Vocabulum rarissimum neque huic loco conveniens. Sermo est de equa, quae leporem peperit, et de huius prodigii interpretatione. Scribendum est γαυρότατα, vocabulum solemne de equis. Cf. XENOPHON, *de re equestri* X. 16 et passim.

gendum nimirum Γέλγη. In uno lexici *Cyrilliani* Codicum in litera Γ legi glossam Γωναβίων: τόξων (l. τόξα) μὴ ἐχόντων. Monstrum lectionis in altero codice enixum est lectionem etiam magis portentosam Γορναβίων. At nihil certius est, quam corrigendum esse τῶν ἀβίων, quod ex litera Α in literam Τ transpositum atque nova clade accepta in literam Γ receptum est. In altero eiusdem lexicographi Codice (*Vindobon.* CCXII) legitur γέγγειν pro τέγγειν, et, quod omnium est speciosissimum, γίγας: ὁ ἥλιος pro Τίταν: ὁ ἥλιος.

Pag. 336. 26: Ἀγαλακτία leg. ἀγαλαξία; — 336. 31: Ἄγαλμα Ἑκάτης: τὴν κύνα οὕτως εἴρηκεν Ἀριστοφάνης κτέ. Est locus servatus ab EUSTATHIO ad *Od.* γ. p. 1417. 36 (cf. PORSON. ad EURIP. *Hec.* 1247): καὶ κύων ἀκράχολος // Ἑκάτης ἄγαλμα φωσφόρου γενήσομαι. DINDORFIUS [4] fragmentum ex EUSTATHIO recepit, nec tamen huius nostri loci fecit mentionem. Corrigam data occasione PHRYNICHUM BEKK. p. 3: Ἀκρόχολον καὶ δύσκολον φθέγγεται. Leg. ἀκράχολον.

Pag. 338. 14: Ἄγλαι: ὄμμα. Εὐριπίδης. Complura excogitari possunt, quibus corruptae glossae medeare, ut ἀγλαὸν ὄμμα vel Ἀγλαΐα: ὄνομα, sed neutrum certum est nec persuadendo idoneum. Quod pag. 338. 17 conieceram legendum esse (*Mnem.* III. pag. 378) Ἁγνεύετε τὴν πόλιν: Ἀντιφῶν ἐκ κατηγορίας ἀπαρασήμου ἀντὶ τοῦ ἁγνίζετε, id collato HARPOCRATIONE insuper confirmatur. Quod sequitur eiusdem radicis vocabulum ἀγίτης: ἱκέτης καὶ καθάρσιος nulla, credo, nititur cuiusdam Graeci scriptoris auctoritate. Corrigendum est ἀγής, vocabulum *Hipponacteum.*

Pag. 340. 18: ἀγροικεῖν καὶ ἀγροίκων: τῶν σωφρόνων. Immo τῶν ἀφρόνων.

Pag. 341. 12: ἀδιάκριτος . . λαμβάνεται δ' ἐπὶ τῶν μὴ γινωσκόντων τὰ δέοντα ἢ ἀφρόνως φλυαροῦντα iterum in syllabarum terminatione est peccatum. Scriptum erat φλυαρούντων. Saepiuscule in eundem lapidem noster atque nullus omnino li-

[4] Usus sum et hoc loco, et ubicumque de DINDORFII *Tragicis* est sermo, editione priore, quae prodiit Lipsiae 1830.

brarius non impegit. Ita quod statim sequitur v. 19: *ἀδολεσχία. Φλυαρία, συνέχεια* vitiose scriptum est pro *Φλυαρία συνεχής* (cf. v. c. THUC. V. 85). Addam, ne pluries idem mihi sit monendum, aliquot locos eodem morbo aegros. In ANTIMACHI fragmento pag. 342. 16: pro *ποταμοῖο παρὰ ῥόῳ* leg. *ῥόον*. Pag. 344. 18: *λαβεῖν γάρ φησιν ἄφυκτον* l. *λαβήν*. 345. 30: *μαρτυρεῖ* leg. *μαρτυροῦσιν*. 354. 33: *Αἰδεσάσθαι . . . ἀντὶ τοῦ ἐξιλάσεται καὶ πείσειν* leg. *ἐξιλάσεσθαι*. 363. 8: *Αἴτιον γενέσθαι: ἀντὶ τοῦ ἐν αἰτίαις* l. *αἰτίᾳ*. 363. 14: *Αἰρεθίζειν: οἱ περί τι σπουδάζοντες* leg. *αἰρεθίζοντες*. 365. 8: *Ἀκμαῖος· νεανίσκος σφριγῶν*. Leg. *νεανικός. σφριγῶν* (Cf. COB. *V. L.* p. 260). 360. 33: *ἀκροθίνια δὲ κυρίως καλεῖσθαί φασιν, ἃς ἀνατιθέασιν οἱ ἐξ ἐμπορίας, παρὰ τὸ ἀπὸ θινὸς, τουτέστι τοῦ αἰγιάλου, σεσῶσθαι αὐτά*. Immo *αὐτούς*. 369. 11: *Ἀκονῶν. Δημοσθένης ἐν ἐπιστολῇ*. Leg. *ἀκονᾶν*. Possem, si tanti esset, eiusdem generis permulta etiam ex uno hoc eodemque libro congerere. Sed quae collegi sufficiunt ad id demonstrandum, cuius causa hanc disputationem inii. Non multum, concedo, lucri haec nostra philologorum disciplina vel ex centum hoc modo sanatis Grammaticorum locis facit; sed quo magis est ieiunum atque exile, quo utuntur, scribendi genus, eo est facilius in singulis ostendere, necessario ita corrigendum esse, ut fecimus. Itaque eo confidentius in melioris notae scriptoribus, si in simile vitium incidimus, corrigemus. Librarii enim, quale esset discrimen ARISTOPHANEM inter et ARISTOPHANIS interpretes, vix sentiebant, nec maiore cura poëtam describebant, quam scholiastam. Apud SOPHOCLEM, *Antig.* 473 *ἀλλ' ἴσθι τοι τὰ σκλήρ' ἄγαν φρονήματα // πίπτειν μάλιστα* pro *πίπτειν* necessario requiritur *πίπτει*, necessario, inquam, quoniam *οἶδα* non construitur cum Infinitivo. Iungunt aut cum participio aut cum *ὅτι* aut absolute orationi inserunt. Nullum est exemplum contrarium. Quae videntur adversari, ut *Oed. Tyr.* 690, alio modo explicari aut emendari debent. Collegi ex uno SOPHOCLE aliquot exempla, *Phil.* 253, 977, 980, 1306, 1336, 1421; *Oed. Tyr.* 347, 959, 1181; *Oed. Col.* 254, 396 etc., quae ex unoquoque scriptorum Graecorum in infinitum possunt augeri. Regula est haud minus credo certa, si qui, alterum dum alloquitur, pro-

nominis loco suum ipsius nomen ponat, verbum enuntiandum esse persona prima. Inde corrigatur versus Euripidis *Helenae* 1165: Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπει legendo προσεννέπω; indidem salus existat pessime habito Herodoti loco, III. 7, ad quem emendandum Cobetus viam mihi munivit. Cambyses, quum Psammenitum vidit suorum liberorum miseriem siccis oculis intuentem, at lacrymantem, quum amicum quendam vidisset mendicantem, nuntios misit, his verbis: δεσπότης σε Καμβύσης, Ψαμμήνιτε, εἰρωτᾷ διότι δὴ τὴν μὲν θυγατέρα ὁρέων κεκακωμένην καὶ τὸν παῖδα ἐπὶ θάνατον στείχοντα οὔτε ἀνέβωσας οὔτε ἀνέκλαυσας, τὸν δὲ πτωχὸν, οὐδέν σοι προσήκοντα, ὡς ἄλλων πυνθάνεται, ἐτίμησας. Cobetus loci priorem partem correxit legendo εἰρωτᾷ τάδε. διὰ τί. Sed credo et hic εἰρωτῶ et in sequentibus πυνθάνομαι Herodoto esse restituendum. Praeterea nescio an recte se habeat ἐτίμησας, quod legitur in fine sententiae, quum exspectares ἐθρήνησας vel simile quid. Non quidem mihi ignoratur, fuisse, qui haud ita certam esse hanc regulam contenderent, in his quem haud impune quis sperneret Ruhnkenius, duobus locis, ad *Hymn. in Cerer.* 269 et ad Terentii *Eun.* V. iv. 3. Sed aliter visum est, qui post Ruhnkenium eandem retractarunt quaestionem. Locus Homericus, a quo Ruhnkenius profectus est, in unico Codice vitiose ita est exaratus:

Ἀθανάτοις θνητοῖσίν τ' ὄνειαρ καὶ χάρμα τέτυκται.

Quem Ruhnkenius ita emendavit:

Ἀθανάτοις θνητοῖσί τ' ὄνειαρ χάρμα τ' ἐτύχθη, vel ἐτύχθην.

Sed versus admodum est iniucundus et inelegans. Mihi quidem multo elegantius ita videtur legi:

Ἀθανάτοισιν ὄνειαρ ἰδὲ θνητοῖσι τέτυγμαι.

Quae in annotatione attulit exempla Ruhnkenius, quod demonstrare voluit, non ab omni parte demonstrare valent. Addo eiusdem corruptelae exemplum in epigrammate, quo Timotheus dilectum praeceptorem Isocratem decoravit:

Τιμόθεος φιλίας τε χάριν σύνεσίν τε προτιμῶν
Ἰσοκράτους εἰδὼ τήνδ' ἀνέθηκε θεοῖς.

Immo ἀνέθηκα. Ob aliam causam prima persona restituatur in Ennii versu, quem Cicero servavit *de Senect.* § 14:

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Leg. *quiesco*. Quicumque meminerit *Symposii Xenophontei* loci illius festivi leporis pleni saleque vere Attico conditi (V. 8), ei dubium esse nequit, quin Graece dicatur *λοιδορουμένῳ ἔοικας*, quod Latine dicimus *similis es obiurganti* vel *videris obiurgare*, h. e. dativo casu esse enuntiandum, quocum quis comparatur, quod quis esse videtur. At permulti circumferuntur in Graecis scriptoribus loci, quibus haec regula ab editoribus neglecta est. Quorum unum tantum producam e Luciani *Iove Tragoedo*, cui emendando libello multam olim operam dedi, § 14: *διατετάραγμαι τὴν γνώμην καὶ ὑπότρομός εἰμι καὶ ἡ γλῶττά μου πεπηδημένη ἔοικε*. At tu fidenter mecum repone *πεπηδημένῃ*. In Xenophontis *Hierone*, IX. 10, terminationum confusio scriptoris sententiam obscuravit. Sermo est de militibus mercenariis, quos civibus oneri esse Graeci iam haud secus atque aequales nostri clamitabant. *Οὐ γὰρ τυράννοις ἰσοτίμους, ἀλλὰ πλεονεξίας ἕνεκα νομίζουσι τούτους τρέφεσθαι*. Vix dubium esse potest, quin Xenophon *ἰσοτιμίας* scripserit. Talentum aureum vel argenteum Graece audit *τάλαντον χρυσοῦ, τάλαντον ἀργυροῦ*. Inde corrigendus Plutarchus *de aud. poet.* pag. 18. E in *Comici* versu *οὐ δώσω δὲ κἂν Ἅιδου δίκην // ὡς ἠσεβηκὼς εἰς τάλαντον ἀργυροῦν*. Librarii culpa extrema litera assuta est; legendum enim *ἀργυροῦ*.

Pag. 341. 24: *οὕτως Ἰσοκράτης καὶ ὁ Μιλήσιος ἐχρήσατο*. Excidit Hecataei nomen, quod e Suida suppleri potuerat.

Pag. 344. 10: *Ἀδιούνιος ταῦρος· ὁ ἥλιος* (leg. *Ἀπόλλων*. Vid. Cob. *Var. Lectt.* p. XVII) *ὑπὸ τῶν Κρητῶν οὕτω λέγεται. Φασὶ γὰρ τὴν πόλιν μετοικίζοντα ταύρῳ προσεικασθέντα προηγεῖσθαι*. Certum est, pro *μετοικίζοντα* legendum esse *μετοικίζοντι*, sed residet gravius vitium. Nomen deest eius, cui Apollo ad locum, quo urbem conderet, iter dicitur monstrasse. Cogitare quis posset atque ipsum me cogitasse fateor de *Ἀδώνιος ταῦρος* legendo. Sed quo unico praeter palaeographicum haec coniectura nititur vestigio, est Cretae insulae mentio, unde Adonidis cultum in Graeciam pervenisse constat. Reliqua omnia obscura sunt. Nam nil notum est mihi quidem de urbe ab

Adonide condita nec de Apolline, qui iuvencae induta forma index illi fuit moenia condendi, qua requieverit herba.

Pag. 346. 19: *῎Αδωρος χάρις: ἡ ἐπὶ τέλους ἐλθοῦσα δωρεά.* Deest negatio. Scilicet legendum *ἡ μὴ ἐπὶ τέλ.* Eodem modo negatio periit vel potius sedem mutavit apud *Schol.* ARIST. *Vesp.* 1502: *ὁ μέσατος: Οὐ τὸν τραγικὸν λέγει Μέσατον. ῎Αλλως: ἀντὶ τοῦ μέσος, καὶ Μένανδρος Καρχηδονίῳ. ἀκριβῶς δὲ ἔοικε λέγειν· τέσσαρες μὲν δή εἰσιν.* Delenda est negatio initio scholii atque inserenda ante *ἀκριβῶς* [5].

Pag. 349. 5: *᾿Αηδόνα: ἔστι μὲν ἡ ὄρνις, ἐκ μεταφορᾶς δὲ οἱ τραγικοὶ τὴν γλωττίδα τῶν βοῶν, ἔστι δ' ὅπου καὶ τὸν αὐλόν.* Eadem HESYCHIUS tradit, at non iisdem verbis, i. v. *ἀηδόνα.* At non intelligo, quid hoc loco vocabulum *βοῶν* significare possit. Intelligerem, si *αὐλῶν* scriptum esset, atque tum, quae hic tradita sunt, cum HESYCHII verbis omnino congruerent. Idem vocabulum, at non ab *αὐλός* sed ab *αὐλή* ducendum, periisse videtur apud SUIDAM i. v. *Εἰρεσιώνη*, in iis, quae e PAUSANIAE lexico (vid. apud EUSTATH. p. 1283) in suum librum transtulit: *» εἰρεσιώνη σῦκα φέρει καὶ πίονας ἄρτους // καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ καὶ ἔλαιον ἀποψήσασθαι, // καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὅπως μεθύουσα καθεύδῃς," μετὰ δὲ τὴν ἑορτὴν ἔξω τῶν ἀγρῶν τιθέασι παρ' αὐτὰς τὰς θύρας.* Sententia ipsa suadet, ut pro *ἀγρῶν* restituatur *αὐλῶν.*

(*Continuabuntur.*)

Briellae, mense Decembri 1854. E. MEHLER.

---

[5] *Schol.* ARISTOPH. *Nub.* 318 eodem atque altero insuper vitio laborat: *περίλεξιν δέ, περιττῶς καὶ περιέργως περιτείνεσθαι καὶ δύνασθαι ἑρμηνεύειν τὸ νοηθέν.* Legendum est *παρατείνεσθαι καὶ οὐ δύνασθαι.*

EMENDATIONES IN GRAMMATICIS GRAECIS.

(*Continuantur e Mnem.* IV. 50.[1])

Multarum, quae in Bekkeri *Anecdotis Graecis* residuae sunt, corruptelarum e principalibus fuisse causis, ut librarii oculis ab uno versu ad alterum aberrantibus, vel ab uno vocabulo ad vicinum eiusdem fere formae vel ὁμοιοτέλευτον deflectentibus, collinerentur aliena atque quae scriptor coniungi voluerat divellerentur, compluribus iam exemplis demonstravi. Quae duobus augebo, in quae oculi inciderunt, simulatque librum evolvi, nova quaedam eorum, quae in Grammaticis Graecis annotaveram, specimina delibaturus. Legitur *pag.* 349. 18: Ἆθλον: συνάγει. Habemus duarum glossarum dimidiatam partem in unum contractas. At Grammaticos et Lexicographos, e quorum gente unus est, in quo versamur emendando, absque omni pudore et rubore et antiquiores constat et unum alterum expilasse. Qua nisus observatione haud ita magna opera e Suida sum expiscatus, quibus utraque mutila glossa in integrum possit restitui. Etenim legendum est:

Ἆθλον: ἀγώνισμα.
Ἀθροίζει: συνάγει.

Quod haec eadem glossa infra legitur repetita, nullius est momenti. Quae aut ipsius Grammatici incuria adiecta, aut ab

[1]) In ea harum Emendationum particula, quam ante hos tres menses *Mnemosynae* fasciculo huius anni primo inserendam curavi, graviter duobus locis a typographis peccatum est. Quae corrigant velim, si qui sint Meletematum meorum lectores. Etenim pag. 36. v. 11 legendum est Κρατις, pag. 38. v. 17 et 18. Ἀργείους, Ἀρκάδας et Ἠλείους.

uno e lectoribus assuta est. Itaque non possum a me impetrare, ut Naberum secutus ἀθλοίζει: συνάγει legendum esse censeam. Exstat vocabulum ἀθλοίζει apud Hesychium, sed corruptum est. Ἀθροίζει legendum esse iamdiu intellectum est; vide Interpretes Hesychii i. v.

Paullulum intricatior alter locus est *pag.* 352. 23: Ἀθήναζε: Πλάτων ἐν Ὀδυσσείᾳ. Παρμενίδῃ. τὸ μέν τοι ἐν τῷ περὶ ψυχῆς ἐπίστασιν ἔχει ὡς ἡμαρτημένον κτέ. Monstrum hic ali ad primam statim lectionem apparet. Ἀεροβατεῖ illud ἐν Ὀδυσσείᾳ, et quoquo te vertas, μυρίων γ' ἐπιστροφαὶ κακῶν. Hoc unum manifestum est, Grammaticum niti loci *Platonici* auctoritate, qui legitur *Parmenidis* ipso initio: ἐπειδὴ Ἀθήναζε οἴκοθεν ἐκ Κλαζομενῶν ἀφικόμεθα. Itaque eiectis, quae aliunde devulsa adhaeserunt, legendum est: Πλάτων Παρμενίδῃ κτέ. At non licet derelinquere emblema illud ἐν Ὀδυσσείᾳ, sede sua pulsum et misere profugum. Est, nisi egregie fallor, glossae fragmentum, qua λέξις *Cratinea* continebatur ex Ὀδυσσεῦσι petita. Neque haud ita longe mihi videor a vero esse aberraturus, si in Grammatici schedis ita fere locum repraesentatum fuisse auguror:

Ἄθυρμα· παίγνιον. Κρατῖνος Ὀδυσσεῦσιν.
Ἀθήναζε. Πλάτων Παρμενίδῃ κτέ.

Habeo fideiussorem Suidam i. v. Ἄθυρμα, ipsa Cratini verba laudantem. Quem ipsum Graeci poetae vel scriptoris locum, cui doctrinam suam superstruxit, excitandi laborem Grammaticus Bekkeri et hic et compluribus aliis locis detrectavit.

Accedant continuo alia quaedam eiusdem generis peccata, quae librum meum dum perlustro in margine notata invenio. *Pag.* 430. 9: Ἀπόλεμος: τίθεται ἐπὶ τοῦ λαχεῖν. οὕτω Λυσίας καὶ Ἀριστοφάνης καὶ Ἀντιφῶν. Contaminatae sunt duae glossae. Quae sic dirimantur:

Ἀπόλεμος: τίθεται ἐπὶ τοῦ * * *
Ἀπολαχεῖν: * * * οὕτω Λυσίας κτέ.

Eadem chorda oberratum est *pag.* 433. 28: Ἀπορρυῆς: ἀπονίπτει, ἀπορρύπτει. Sed accidit, quod vocabula, quae servata sunt, locum inter se mutarunt. Ita enim scriptum erat:

Ἀπορρυῆς * * *
Ἀπορρύπτει· ἀπονίπτει.

Graviores turbae nasci solent, si in poetarum describendis carminibus non solum singula vocabula, sed integros versus praepostero ordine librarii disponebant. Cuius rei luculentum testimonium *Theogonia* est *Hesiodea*, post varias variorum virorum vere doctissimorum curas nondum in integrum restituta. Est locus in Hesiodi *Scuto Hercul.*, cui sanando complures viri docti se accinxerunt, quorum vero coniecturis aliquatenus quidem correctus, nec tamen omnino sanatus est et expeditus. Poematis illius vv. 201—206 ita vulgo eduntur:

Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱὸς
χρυσείῃ φόρμιγγι· θεῶν δ' ἕδος ἁγνὸς Ὄλυμπος·
ἐν δ' ἀγορή, περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο
ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι· θεαὶ δ' ἐξῆρχον ἀοιδῆς
Μοῦσαι Πιερίδες, λιγὺ μελπομένῃς εἰκυῖαι.

Longa mihi opus esset narratione, si omnia enumerare susciperem poëtae manum revocandi facta conamina. Consulat, cuius interest, Göttlingii Commentarium. Eas tantum recensebo, quae aut a me sunt receptae aut viam mihi monstraverunt ad id, quod verum mihi esse videtur. Etenim D. Heinsius in versu 203 pro ἁγνός commendavit ἄγνυτ', dum Hermannus, ad *Orphica*, p. 813. v. 204 post 206 traiici iussit. At mihi — parcam enim verbis — versus ita videntur esse disponendi:

Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱὸς
χρυσείῃ φόρμιγγι· Θεαὶ δ' ἐξῆρχον ἀοιδῆς
Μοῦσαι Πιερίδες, λιγὺ μελπομένῃς εἰκυῖαι
ἀθανάτων ἐν ἀγῶνι· θεῶν δ' ἕδος ἄγνυτ' Ὄλυμπος·
ἐν δ' ἀγορή, περὶ δ' ὄλβος ἀπείριτος ἐστεφάνωτο.

Ad Heinsii emendationem Göttlingius conferre iubet eiusdem carminis *Hesiodei* versus 279 et 347. Eodem vitio laborare locum Theocriti in *Idyllio* XXII indicavit mihi vir amicissimus L. V. Schmidt. Eduntur enim vv. 148—150 hunc in modum:

Ὑμεῖς δ' οὐ κατὰ κόσμον ἐπ' ἀλλοτρίοις λεχέεσσιν
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι καὶ ἀλλοτρίοις κτεάτεσσιν,
Ἄνδρα παρετρέψασθε, γάμον δ' ἐκλέψατε δώροις.

Quos ille ita censet esse ordinandos:

Ὑμεῖς δ' οὐ κατὰ κόσμον ἐπ' ἀλλοτρίοις λεχέεσσιν

Ἄνδρα παρετρέψασθε, γάμον δ' ἐκλέψατε δώροις,
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι, καὶ ἀλλοτρίοις κτεάτεσσιν.

Subit mirari, librarium in hisce adeo hebetem dixerim an negligentem, in consimili vitiorum genere, in recte scilicet distinguendis et dirimendis vocabulis et sententiis vix aliquid nota dignum commisisse. Cuiusmodi mendis PHOTIUS quam qui maxime scatet. De quibus, quum libere liceat in hoc annotationum genere huc atque illuc exspatiari, pauculas quasdam selectas dabo emendatas. PHOT. pag. 137. 22: Κατακαχρύσαι: ῥῆξαι· ψοφῆσαι· ποιῆσαι· ἀπὸ τῶν φρυγομένων κριθῶν. *Leg.* ψοφῆσαι ποιῆσαι (Vid. supra). Pag. 216. 10: καὶ αὐτὸν δὲ τὸν Ἀπόλλω (leg. Ἀπόλλωνα) παρ' ἐνίοις λέσχην ὄρειον ἐπικαλεῖσθαι. *Leg.* λεσχηνόρειον. Pag. 408. 24: Πεμπτά· πέντε καὶ Αἰολεῖς καὶ Ἴωνες καὶ Ἀττικοί. *Leg.* πέμπε· τὰ πέντε κτέ. Pag. 533. 15: Μήπως, ὦ Σώκρατες, πρὶν ἂν τὸ καῦμα παρέλθῃ. *Leg.* Μήπω γ' ὦ Σώκρατες. Cf. PLAT. *Phaedr.* pag. 242. A. Pag. 665. 26: (Β)ιαίων δίκη: ἥ τις βία ἐπεισελθών τι ἔλαβεν ἀλλότριον ἢ ἐκ χωρίου ἢ ἐξ οἰκίας, βιαίως (leg. βίας) ἐκρίνετο. *Leg.* εἴ τις βίᾳ. Quantas haec librariorum socordia turbas possit dare, nemo est quin mecum sentiat; sed habet eadem idoneam haud raro excusationem, quam difficile vel nostrae aetatis philologis fuerit cogitantibus, e scriptura antiquorum librorum minutissima siglarumque et compendiorum multitudine obsitâ genuina scriptoris verba eruere. Omnium instar *Scholium Homericum* afferam, in quo bis hoc unum idemque vitium VILLOISONO fuisse commissum, nova Codicum Venetorum a Viro palaeographiae peritissimo omnesque, quibus irretiri solemus, librariorum laqueos penitus pernoscente, instituta collatio demonstrabit. In maiore *Scholio* ad HOM. *Iliad.* B. 129 haecce exstant: Πλάτων δὲ διαιρῶν τὴν μανίαν (leg. τὰς μανίας) δείκνυσι (τε) τὰς ἀγαθάς τε καὶ θείας αἵτινές εἰσι· φυγὴν δὲ Διονύσου οὐκ Ἰδομενεὺς κατέγνωκε· τοῖς δὲ λεγομένοις καὶ κεκρατηκόσι μύθοις Ὅμηρος κρίνων αὐτοὺς εἰς χρῆσιν κατὰ καιρὸν τοῖς ἥρωσιν ἀνατέθεικεν· τὰ δὲ κατὰ τὴν Λυκουργίαν οἰκεῖον ἦν εἰδέναι τῷ Διομήδει. Οἰνεὺς γὰρ ὁ πάππος αὐτῷ (leg. αὐτοῦ) ὁμόλεκτρος λέγεται τῷ Διονύσῳ γενέσθαι. οἷον δ' οὖν εἰκότως τὰ κατὰ τὸν Διόνυσον. At in Codice exaratum erat, scitis oculis legendum, οὐχ ὁ Διομήδης pro οὐκ Ἰδομενεὺς et οἶδεν οὖν pro οἷον δ'

οὖν. Nolo cumulare exempla, quae scriptorum Graecorum diligens lectio unicuique nullo negotio suggeret. Addo nonnullos locos, qui recens lecti ob animum obversantur, omnes leviter corruptos, sed vitio, quod ex hoc eodem fonte haud dubie profluxit. Apud LUCIANUM, *Iov. Trag.* 21 Momus acerbis conviciis Iovem vellicans: ἀπόκριναί μοι, inquit, μετ' ἀληθείας, εἴ ποτέ σοι ἐμέλησεν ἐς τοσοῦτο τῶν ἐν τῇ γῇ, ὡς ἐξετάσαι, τίνες αὐτῶν οἱ φαῦλοι ἢ οἵ τινες οἱ χρηστοί εἰσιν. Scripserat, credo, LUCIANUS, καὶ τίνες. Apud eundem, *Tim.* 41, Timon ligonem, quem thesauri effodiendi gratia in terram est immissurus, hisce adloquitur: Ἄγε, ὦ δίκελλα, νῦν μοι ἐπίρρωσον σεαυτὴν μὴ καὶ κάμῃς ἐκ τοῦ βάθους τὸν θησαυρὸν ἐς τοὐμφανὲς προκαλουμένη. At reponendum est καὶ μὴ κάμῃς. HERODOTUS, VII. 15 XERXEM inducit exponentem, cur spreto Artabani consilio expeditionem in Graeciam sit suscepturus. Ab initio Artabani consilium non nauci se habuisse confitetur, μετὰ μέντοι οὐ πολλὸν χρόνον μετέγνων, [ἔγνων δὲ] ταῦτά μοι ποιητέα ἐόντα, τὰ σὺ ὑπεθήκαο. τετραμμένῳ γὰρ δὴ καὶ μετεγνωκότι ἐπιφοιτέων ὄνειρον φαντάζεταί μοι οὐδαμῶς συνεπαινέον ποιέειν με ταῦτα. Nullibi, si hunc locum exceperis, apud HERODOTUM verbi συνεπαινέω vestigium apparet, sed constanter adiectivo συνέπαινος utitur, addito verbo substantivo εἶναι vel γίγνομαι. Cf. v. c. III. 119. V. 20. V. 31. V. 32. Itaque hoc quoque loco censendus est seiunctim συνέπαινον ἐόν scripsisse, quae librarius in unum vocabulum iussit coire. Idem HERODOTUS, V. 30 scripsisse creditur: Ἀπικόμενοι δὲ οἱ Νάξιοι ἐς Μίλητον ἐδέοντο τοῦ Ἀρισταγόρεω, εἴ κως αὐτοῖσι παράσχοι δύναμίν τινα καὶ κατέλθοιεν ἐς τὴν ἑωυτῶν. Quod ita correxerim: δύναμιν, ἵνα κατέλθοιεν. Memini, dum haec scribo, loci AESCHINEI e *Ctesiphontea*, § 245—246, cui medicam manum adhibuit Vir. Doct. D. BURGER in *Miscellaneis Philologis*, quae superiore anno prodierunt, pag. 2, nec tamen ita, ut omne putandus sit punctum tulisse. Ita enim AESCHINES: ἐὰν ἐπερωτῶσιν ὑμᾶς οἱ νεώτεροι πρὸς ποῖον χρὴ παράδειγμα αὐτοὺς τὸν βίον ποιεῖσθαι, τί κρινεῖτε. Recte extrema vocabula labem contraxisse autumat; pro quibus legendum esse illi videtur: τί ἀποκρινεῖσθε. Sed ipsum si bene novi libenter inventum suum esse derelicturum scio prae HIRSCHIGII emendatione τί καὶ ἐρεῖτε, quae et a palaeographica ratione

commendatur et locutionem restaurat vere Atticam. Quam libet eadem opera revocare apud Lucianum, Atticorum e gnavissimis imitatoribus in *Iove Tragoedo* 17, cuius capitis maiorem describam partem, ut alia quaedam simul vitia tollam. Iupiter in Deorum concione verba facit de acri certamine, quod Damidem Epicureum inter et Timoclem Stoicum ortum erat. Ipse Deorum honos agebatur, iamque in eo fuisse narrat Timoclem, immortalium patronum, ut victus de arena cederet. *Συνεὶς δὲ ἐγὼ*, pergit, *τὸ κινδυνευόμενον τὴν νύκτα* (immo Ν ύ κ τ α) *ἐκέλευσα περιχυθεῖσαν τὴν ξυνουσίαν διαλῦσαι. Ἀπῆλθον οὖν ἐς τὴν ὑστεραίαν ξυνθέμενοι ἐς τέλος ἐπεξελεύσεσθαι* (leg. *ἐ π ε ξ ι έ ν α ι*) *τὸ σκέμμα, κἀγὼ παρομαρτῶν τοῖς πολλοῖς ἐπήκουον μεταξὺ ἀπιόντων οἴκαδε* [*π α ρ' α ὐ τ ο ὺ ς*] *ἐπαινούντων τὰ τοῦ Δάμιδος καὶ ἤδη παρὰ πολὺ αἱρουμένων τὰ ἐκείνου. Ἦσαν δὲ καὶ οἱ μὴ ἀξιοῦντες προκατεγνωκέναι τῶν ἐναντίων, ἀλλὰ περιμένειν εἴ τι καὶ ὁ Τιμοκλῆς αὔριον ἐρεῖ.* Mihi quidem vix dubium est, *εἰ* a recentiore manu illatum atque olim lectum fuisse: *τί καὶ ὁ Τιμοκλῆς αὔριον ἐρεῖ.* Luciani facta mentione, eum de manibus non deponam, nisi locis aliquot recensitis, ad quos sanandos eodem artificio videtur esse utendum, quo Aeschinis locus ad pristinam formam docta Hirschigii opera est revocatus. In *Icaromenippo* non singula verba, sed capita male distincta sunt in hisce, quae dabo, sicut vulgo edita leguntur: 17..... *Ἀλλ' ἐν αὐτῷ γε ποικίλῳ καὶ πολυειδεῖ τῷ θεάτρῳ πάντα μὲν γελοῖα δήπουθεν ἦν τὰ γιγνόμενα.* 18. *μάλιστα δὲ ἐπ' ἐκείνοις ἐπῄει μοι γελᾶν κτέ.* At novum caput a verbis *Ἀλλ' ἐν* incipiendum atque levissima tantum post *γιγνόμενα* interpunctione est utendum. In eiusdem dialogi cap. 23 Icaromenippus Iovi narrat, quo modo et post quos casus et rerum discrimina in coelum fuerit pervectus. *Μειδιάσας δ' οὖν ὁ Ζεὺς καὶ μικρὸν ἐπανεὶς τῶν ὀφρύων, τί ἂν λ έ γ ο ι ς, φησὶν, Ὤτου πέρι καὶ Ἐφιάλτου, ὅπου καὶ Μένιππος ἐτόλμησεν ἐς τὸν οὐρανὸν ἐπανελθεῖν.* Ineptum esse *λέγοις* facile evincam. Quantocius revocandum *λ έ γ ο ι τ ι ς*. In *Vitar. Auct.* Chrysippus emtori exponit, quibus artibus glorietur et prae ceteris excellat; in his *τὸν ἀοίδιμον συλλογισμόν* refert. Cuius hoc producit exemplum: *Τοῦτο* (scil. *τὸ παιδίον*) *ἢν πως κροκόδειλος ἁρπάσῃ πλησίον τοῦ ποταμοῦ πλαζόμενον εὑρὼν, κᾆτά σοι ἀποδώσειν ὑπισχνῆται αὐτὸ, ἢν εἴπῃς τἀληθὲς ὅ τι δέδοκται*

αὐτῷ περὶ τῆς ἀποδόσεως τοῦ βρέφους, τί φήσεις αὐτὸν ἐγνωκέναι. Cui emtor respondet: *Δυσαπόκριτον ἐρωτᾷς. ἀπορῶ γὰρ ὃ πρότερον εἰπὼν ἀπολάβοιμι.* LUCIANO, si tale quid scribere voluisset, *ὅτι πρότερον* dicendum fuisse iam non moror. Sed duo quum in promptu sint, quibus ad crocodili interrogationem possit responderi, non id iam agitur, quid prius quid posterius dicendum — nam unum *aut* alterum, neque unum *et* alterum respondendum erat — sed utrum e duobus sit eligendum. Itaque vix dubium est, quin LUCIANUS scripserit *ὁπότερον εἰπὼν ἀπολάβοιμι.* Apud *Scholiastam* NICANDRI *Alexipharm.*, ad quem his ipsis diebus forte fortuna delatus sum, v. 577 (SCHN.) *πράσιον ἢ ῥίζας ἢ ῥύγγου, ὅ ἐστιν εἶδος βοτάνης* vitium, quod in *πράσιον* latet, non potui emendare; at certissimum est pro *ἢ ῥύγγου* legendum esse *ἠρύγγου*, cuius plantae mentio fit apud ipsum NICANDRUM, *Thes.* 848. Haud inepte annecti posse videtur TACITI locus in *Historiis*, eadem librariorum incuria pessumdatus, qua de verborum significatione securi, pro lubitu coniungendo et dirimendo gravia scriptoribus, quorum verba depingebant, vulnera inflixerunt. *Historiar.* lib. II. 95 Vitellii inexplebiles exagitantur libidines: *Ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur.* Magna et misera *civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines, quam alii mores.* Apud neminem editorum, quos quidem licuit conferre, suspicio orta esse videtur de vocabulorum traditorum genuinitate. Nec tamen facile mihi persuaserim ipsam in his TACITI manum apparere. Quaenam, quaeso, vocabuli *magna* in sententia ei quae praecedit *ἀσυνδέτως* adiecta est vis? Mihi quidem, quamquam identidem singula vocabula ponderanti, nullam excogitare contigit rationem, qua vulgata lectione servata idonea loci interpretatio evaserit. Eo confidentius, quod in mentem venit, propono. Etenim ubi legeris: *Ipse ..... novies millies sestertium ..... intervertisse creditur* SAGINA. AT *misera civitas* etc., et difficultas, quam adiectivum illud peperit, e medio erit sublata, et vocabulum restituetur, Vitellii libidinibus definiendis imprimis aptum. Nam vox *sagina*, quotiescumque de homini-

bus usurpabatur, aut iocose dicitur aut cum contemptu.

Iam ab hoc deverticulo ad Grammaticum rediturus, quo melius demonstrem, in Grammaticorum Lexicographorumque emendatione consimilis generis scriptorum continua et accurata comparatione vix alterum esse magis efficax criticae rite facessendae auxilium, locum tractabo, nullo corruptelarum genere non inquinatum, sed qui ab omni fere labe et aliis scriptoribus collatis et certa coniectura vindicari possit. Effundit Grammaticus, *Anecdot. pag.* 416 et 417, quae de Apaturiorum festo e variis fontibus collegerat, ad quos bonum factum aditum nobis haud secus atque illi patere. Etenim et BEKKERI *Grammaticus* et SUIDAS i. v. Ἀπατούρια doctrinae suae longe maiorem partem surripuerunt *Schol.* ARIST. *Acharn.* 146, ARIST. *Pac.* 890 et PLAT. *Tim.* pag. 21. B. Nam quae apud HARPOCRATIONEM, HESYCHIUM, POLYAENUM, alios de eadem re tradita leguntur, ex aliis fontibus videntur esse deducta. Antiquissimum iudicavi, universum locum lectoris oculis subiicere, quo facilius appareat, quid in singulis corrigendum fuerit. *Ἀπατούρια· ἑορτὴ Ἀθήναις ἀγομένη Διονύσῳ. Βοιωτῶν μαχομένων Ἀθηναίοις ἐπὶ χώρας [Οἰνόης καὶ] Μελαινῶν, Ξάνθου τοῦ Βοιωτοῦ ἡγεμόνος προκαλεσαμένου εἰς μονομαχίαν Θυμοίτην, Ἀθηναίων βασιλέα, καὶ τούτου μὴ ὑπομείναντος, Μέλανθος ὁ Κόδρου πατὴρ, ἐπὶ ὁμολογίᾳ τῆς βασιλείας ὑπέστη· εὐξάμενος δὲ Διὶ ἀπατηνορίῳ, ὡς δέ τινες, Διονύσῳ, καὶ τοὺς Ἀθηναίους κελεύσας Διὶ ἀπατηνορίῳ θύειν, προσιόντι τῷ Ξάνθῳ ἔφη οὐ δίκαια ποιεῖν· δεύτερον γὰρ εἶναι, [μόνον] μονομαχῆσαι προκαλεσάμενον. ἐπιστραφέντα δ' ἐκεῖνον ὁ Μέλανθος λαβὼν ἀποκτείνει. καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἑορτὴν ἐνομοτέθησεν ἄγεσθαι, ἣν καὶ κατ' Ἰωνίαν συντελοῦσιν. Ἤγετο δὲ τὰ Ἀπατούρια ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς, καὶ ἐκαλεῖτο ἡ μὲν πρώτη, ἐν ᾗ συνδειπνοῦσι μόνον, δορπία· ἡ δὲ δευτέρα, ἐν ᾗ θύουσιν, ἀνάρυσις· τὸ γὰρ θύειν ἀναρύειν καὶ τὸ θῦμα ἀνάρυμα ἐλέγετο, ἐπεὶ οἱ ἀρχαῖοι ἀνακλῶντες τὰ ἱερεῖα καὶ [ἄνω] ἀναρύοντες ἔθυον.* Versu 2 et 3 legendum est, quod SUIDAS servarunt et *Schol.* ARISTOPH. *Acharn.* περὶ χωρίου Κελαινῶν. Nomen *Oenoae* urbis, apud alios eiusdem rei auctores *Celaenis* substitutum (vid. *Schol.* PLAT. *Tim.* 21. B.), a male sedulo lectore aut hic aut in eo libro censendum est adscriptum esse, cui noster sua debet accepta. — V. 5. Codri pater ab hoc Melanthus, ab

illo nominatur Melanthius. Dixeris in rebus metricis et prosodiacis ipso Apolline vix maiorem et sanctiorem dari arbitrum; quem Polyaenus *Strategem. libro* I, 19. auctor est Xantho sortem suam esse vaticinatum versu hocce vel post Casauboni curas claudicante, cui metro suo restituendo incassum operam navavi[2]:

Ξάνθον ἀπατήσας Μελάνθιος ἔσχε Κελαινάς.

Sed Apollinem haecce credamus cecinisse, siculi speciosum istud Luciano in *Iove Trag.* 31 servatum composuit oraculum, μήτε τρίποδος παρόντος μήτε θυμιαμάτων ἢ πηγῆς μαντικῆς, οἷα ἡ Κασταλία ἐστίν, atque Ephori (*fragm.* 25. Mueller) et Strabonis (ed. *Tauchn.* IX. pag. 235), quamquam mortalium, auctoritatem secuti eundem Melanthum potius vocatum fuisse confidamus. V. 8 pro εἶναι legerim ἰέναι, suadente Polyaeno l. l.: καὶ μὴν ἀδικεῖς δεύτερος ἰὼν ἐπὶ τὴν μάχην. V. 9 vocabulum μόνον, e dittographia natum, uncis curavi includendum; eadem exilii poena afficiendum vocabulum ἄνω, v. 15 inepte repetitum. Versu 10 quis vel me non monente λαβών in βαλών mutare dubitabit? Crebrae inde natae sunt turbae, quod syllabarum literae initiales inter se sunt commutatae. Quod in eodem vocabulo βάλλω factum observavi apud *Schol.* Aristoph. *Av.* 245: κάμπτετε δὲ, καταβάλλετε, ἐσθίετε. At tu legas: κάπτετε δὲ, καταλάβετε, ἐσθίετε. Etiam apud Herodotum, III. 69: ὦ θύγατερ, δεῖ σε γεγονυῖαν εὖ κίνδυνον ἀναλαβέσθαι, τὸν ἂν ὁ πατὴρ ὑποδύνειν κελεύῃ, et duobus vel tribus praeterea apud eundem locis pro ἀναλαβέσθαι exquisitius saltem legeretur ἀναβαλέσθαι. Eodem modo peccari solet in vocabulis θυμός et μῦθος et derivatis. Ita v. c. in *vita* Homeri, p. 321 (Gal.): ἁρπαγὴν δὲ ἅμα μυθικῶς καὶ ἰταμῶς πρασσομένην λύκοις εἴκασεν, non, quod Valckenaerio in mentem venit ad Ammon. p. 36. ὁρμητικῶς, sed haud dubie legendum est θυμικῶς. V. 13 pro δορπία legendum esse δορπεία, et vv. 13—15 pro ἀνάρυσις, ἀναρύειν, ἀνάρυμα, ἀνάρυσις communi sublato vitio ἀνάρρυσις, ἀναρρύειν,

---

2) Ingeniosum est quod coniecit amicissimus Naber:

Ξάνθῳ ἀπαντήσας ὁ Μελάνθιος ἔσχε Κελαινάς,

cui vero ideo non assentior, quod verbum ἀπαιαν, quod omni fabulae videtur ansam dedisse, necessario requiritur.

ἀνάρρυμα, ἀνάρρυσις vel sine Scholiastarum, Suidaeque et Hesychii auctoritate nemo facile iret infitias.

In iis, quae sequuntur, quum unum tantum sit, quod morari legentem possit non opus est ut totum locum deinceps transscribam. Narrat Grammaticus, unde nomen acceperit tertia festi dies, quae Κουρεῶτις appellabatur: *ἐν ταύτῃ γάρ*, dicit, *τοὺς κούρους εἰσάγουσι καὶ συνιστᾶσι τοῖς συγγενέσι καὶ γνωρίμοις, εἶτα τρέφοντες εἰς τὴν πολιτείαν εἰς τοὺς φράτορας ἐνέγραφον.* Duplex die isto, qui κουρεῶτις audiebat, res agebatur; et recens natos *εἰς τοὺς φράτορας εἰσῆγον*, et adultorum puerorum pubertatem, ut Boeckhii verbis utar, eodem die publica professione declarabant. Vid. Hermann, *Antiquitatt. Gr.* § 100. 14 et ibi laudatos. Olim ambiguae huius apud viros doctos, sed iam ab omni parte, ut videtur, satis certis argumentis suffultae rei hic ipse in quo versamur locus testimonium videtur continere haud spernendum. Hoc enim dicit: Pueros isto die et solemni modo ostendunt consanguineis et amicis, et, ubi adulti sunt, in *φρατόρων* album referunt. Quod facilius etiam ex istis verbis elici posset, si pro *τρέφοντες* legeretur *τραφέντας*; sed sunt, cur de coniecturae veritate ipse magnopere dubitem. In vocabulis *εἰς τὴν πολιτείαν εἰς τοὺς φράτορας* alterutrum est supervacaneum; malim servare *εἰς τοὺς φράτορας* [3]. De eo quoque tempore, quo primum in phratrias introducti fuerint pueri, utrum recens nati an tertio vel quarto aetatis anno, non convenire inter veteres huius rei testes, docuit me Hermannus, *Antiquitatt. Gr.* § 100. 2. Cf. *Schol.* Plat. *Tim.* 21. B.: *ἐν ταύτῃ γὰρ τοὺς κόρους ἐνέγραφον εἰς τοὺς φράτορας, τριετεῖς ἢ τετραετεῖς ὄντας· ἐν ᾗ τῶν παίδων οἱ ἐντρεχέστεροι ποιήματα ἄττα* (leg. *ποιημάτια*) *ᾖδον, τὰ τῶν παλαιῶν ῥαψῳδοῦντες.* Unde haec opinio, quae hoc uno quantum scio testimonio innititur, originem traxerit, vix enucleari poterit. Quae haud digna esse vi-

---

3) Eiusdem omnino generis emblema Demostheni eximendum est in *Orat. contra Phil.* III. pag. 117. § 26. Bekk. in hisce: *οὐχὶ τὰς πολιτείας καὶ τὰς πόλεις αἱ τῶν παρῄρηται καὶ τετραρχίας κατέστησεν, ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη δουλεύωσιν;* Collati Suidas et Harpocration i. v. *τετραρχία* vocabula *καὶ τὰς πόλεις* eiicienda esse luculenter satis demonstrabunt.

detur virorum doctorum cura. Semel an his εἰς τοὺς Φράτορας pueri fuerint introducti olim vidimus dubitatum fuisse. Potestne eo modo ista opinio esse nata, ut unus ex iis, qui semel tantum solemni ritu pueros fuisse introductos putarent, lectis, quae v. c. Hesychius tradidit: Κουρεῶτις ..... ἐν ᾗ τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τῶν παίδων ἀποκείροντες τρίχας Ἀρτέμιδι θύουσιν, non posse esse sermonem existimaret de infantibus recens natis, sed de κόροις, eo iam aetatis provectis, ut eorum coma posset ἀποκείρεσθαι. Sed haec omnia perquam esse incerta et lubrica omnium optime ipse agnosco, nec ignoro, in talibus disquisitionibus, quae incertis veterum indiciis sunt superstructae, haud raro nos tenere, quod dicunt, φάτταν ἀντὶ περιστερᾶς.

In fine prioris de Apaturiis apud Bekkerum excerpti additum est fragmentum *Epicharmeum*, alieno loco atque fortasse ab alia atque ipsius Grammatici manu adiectum, quippe in quo verbi ἀναρρύειν vel ἐπαναρρύειν, de quibus supra sermo fuerat, vestigia supernatant. Καὶ Ἐπίχαρμος δέ πού φησι:

θωσουμεθα· ὁ Ζεὺς εναρύει.

Quae aliorum sagacitati enodanda relinquo.

Alterum deinceps est additum aliunde petitum de Apaturiorum origine excerptum, priore etiam peius habitum. Ἀπατούρια: ἑορτή ἐστι παρὰ Ἀθηναίοις Πυανεψιῶνι τελουμένη ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς· ἐκλήθη δὲ οὕτω διὰ τὴν ὑπὲρ τῶν ὁρίων ἀπάτην γενομένην τῆς Μελανίας χώρας. πολεμούντων γὰρ τῶν Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτούς, Μέλανθος, ὁ τῶν Ἀθηναίων βασιλεύς, Ξάνθῳ τῷ Θηβαίῳ μονομαχῶν, ἀπατήσας ἀπέκτεινεν οὕτως ..... γὰρ ἐφάνη τῷ Μελάνθῳ τις ὄπισθεν τοῦ Ξανθίου καὶ ὁ Μελάνθιος ἀνεβόησεν ἀδικεῖν αὐτὸν δεύτερον συνεπαγόμενον. ὁ δὲ ἐπεστράφη, ὁ δὲ παίσας ἀποκτείνει αὐτόν. ἐκ δὲ τούτου ἥ τε ἑορτὴ Ἀπατούρια καὶ ἡ Διονύσου μέλαινα αἰγίδος ισαντο βωμοῦ. Versu 4 scribendum est, ut supra, τοῦ Κελαινῶν χωρίου; v. 6. excidit, quod collatus Suidas suppeditat, vocabulum μονομαχούντων. Pro Ξανθίου et Μελάνθιος rescribatur Ξάνθου et Μελάνθος. Bekkerum post Ξανθίου vocabulum nullum apposuisse lacunae signum est quod magnopere miremur. Nisi enim ponas, hoc loco periisse, quae Suidas et *Scholiasta* Aristophanis servarunt, vocabula τραγῆν ἐνημμένος μέλαιναν, ea quae sequuntur omnino nequeunt intelligi. Omnium

pessime mulcata sunt extrema vocabula. Non multis mihi opus erit ambagibus nec magno apparatu, ut evincam, olim lectum fuisse: *καὶ Διονύσου μελαναίγιδος ἐδομήσαντο βωμόν.*

Licebit eadem opera reliquis scriptoribus, apud quos Apaturiorum fit mentio, pauculas quasdam maculas abstergere. Apud SUIDAM i. v. Ἀπατούρια initio legitur: *ἐν ᾗ ἐγράφη ἐν τῇ πολιτείᾳ ὁ υἱὸς Σιτάλκου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως.* Legatur *Σιτάλκους*[4]. In iis, quae in fine sequuntur: *καὶ Διονύσου μελαναίγιδος ἐδομήσαντο* periit vocabulum *βωμόν*, quod addatur. Adiicit *Schol.* ARIST. *Pac.* 890: *τινὲς δέ φασι τὸν Διόνυσον παραστῆναι τῷ Ξάνθῳ σὺν ἀγροικικῷ σχήματι.* Verum est *ἐν ἀγροικικῷ σχήματι.* Neque de re ipsa neque de proclivi utriusque praepositionis commutatione opus est, ut verbum amplius addam. At vide, qui in talibus est instar omnium, BAST. in *Comment. Palaeogr.* p. 714 et COBETUM *Var. Lect.* pag. 163 et 240. Ita v. c. apud LUCIANUM Bacchus dicitur fuisse *ἐν πορφυρίδι καὶ χρυσῇ ἐμβάδι* (54. 2). In *Schol.* ARISTOPH. *Plut.* 1199: *αὐτὴ ποικίλα: Λείπει τὸ ἱμάτια, ἵν' ᾖ ποικίλα ἱμάτια ἔχουσα σεμνῶς ἦλθες. πορφυροῖς γὰρ καὶ ποικίλοις ἱματίοις ἐπόμπευον*, restituatur necesse est *ἐν πορφυροῖς.* Saepe apud LUCIANUM commutata esse *σκευάζω, ἐνσκευάζω, συσκευάζω* similia COBETUS l. l. multis exemplis demonstravit. Eodem modo foede permutata sunt *συγκαλύπτω*, quod est vocabulum nihili, et *ἐγκαλύπτω* apud XENOPHONTEM; et in *Symposio*, de quo loco olim egi, et in *Cyropaedia*, libro VIII. VII. 26 Cyrus moriens haecce liberos rogat: *ὅταν δ' ἐγὼ ἐγκαλύψωμαι, αἰτοῦμαι ὑμᾶς, ὦ παῖδες, μηδεὶς ἔτ' ἀνθρώπων τοὐμὸν σῶμα ἰδέτω.* Idem eiusdem capitis § 28 dicitur: *ταῦτ' εἰπὼν καὶ πάντας δεξιωσάμενος, συνεκαλύψατο καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν.* Scripserat XENOPHON *ἐνεκαλύψατο.* Apud ISOCRATEM VII. 62 (p. 150. D) haecce exstant: *ἐπεὶ νῦν γε τίς οὐκ ἂν ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις τῶν εὖ φρονούντων ἀλγήσειεν, ὅταν ἴδῃ πολλοὺς τῶν πολιτῶν ..... χορεύοντας μὲν ἐν χρυσοῖς ἱματίοις, χειμάζοντας δ' ἐν [τοιούτοις, ἐν] οἷς οὐ βού-*

---

[4]) SITALCAE nomen corruptae librorum scripturae substituit COBETUS apud XENOPHONTEM, *Hellen.* VII. IV. 15. Legebatur: *οἱ δὲ περὶ Στάλκαν τε καὶ Ἱππίαν καὶ Στρατόλαν εἰς ὀλιγαρχίαν* (scil. *ἦγον τὴν πόλιν*). Quam emendationem nescio an DINDORFIUS in novissimam suam *Hellenicorum* editionem receperit.

λομαι λέγειν. Quem locum adduxi, ut putidum demonstrarem glossema, cuius omnino simile alitur apud Lucianum, *Vitar. Auct.* 5. *Τί φής; ἄλλος εἰμὶ, καὶ οὐχ [οὗτος] ὅσπερ νῦν πρὸς σὲ διαλέγομαι;* Redeo ad scriptores, qui de Apaturiis egerunt. In Ephori fragmento 25..... *ὅτι πολεμούντων Ἀθηναίων πρὸς Βοιωτοὺς ὑπὲρ τῆς τῶν Μελαινῶν χώρας,* Muellerus corrigere debuerat *ὑπὲρ τοῦ Κελαινῶν χωρίου,* quod maximam partem ita iam emendatum erat a Maussaco ad Harpocrationem i. v. *Ἀπατούρια,* unde Ephori fragmentum est excerptum. Apud Theophrastum denique, *Charact.* 3, *ἐν παρόδῳ* Apaturiorum fit mentio, sed levi locus vitio premitur: *Καὶ ὡς Βοηδρομιῶνος μὲν τὰ μυστήρια, Πυανεψιῶνος δὲ Ἀπατούρια, Ποσειδεῶνος δὲ τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια.* Excidit nimirum articulus ante *Ἀπατούρια.* More meo, quo Grammaticorum fatuas et insulsas dapes, meliorum scriptorum symbolis condire soleo, duos apponam locos *Lucianeos*, in quibus articulus perperam illatus scriptoris sententiam obscuravit. In *Apologia*, 15: *Πρὸ δὲ τῶν ὅλων μεμνῆσθαι χρὴ τοὺς ἐπιτιμῶντας, ὅτι οὐ σοφῷ ὄντι σοι ἐπιτιμήσουσιν, ἀλλὰ τῷ ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου,* quantocius refingendum est *ἀλλά τῳ*, et haud maiore molimine alter sanari potest locus in *Iove Tragoedo* 36, ubi in acri Sophistarum certamine indignabundus Timocles Damidem, Deos hominum sorti prospicere negantem *Πάντα δὲ*, interrogat *εἰκῇ φέρεται ἀλόγῳ τῇ φορᾷ;* scilicet hic quoque pronomen indefinitum *ἀλόγῳ τῳ φορᾷ* necessario poscitur.

Passim per *Anecdotorum* corpus lacunae apparent, paene omnes facili negotio, quod editor in se suscipere detrectavit, explendae. Colligam, ne pluries idem mihi sit recantandum, aliquot eius generis exempla. *Pag.* 355. 11: *Αἴγλης Χάριτες: πιθανῶς ἐγενεαλόγησαν τὰς Χάριτας Αἴγλης δὲ ἥλιος, ἐπεὶ τὰς χάριτας λαμπρὰς εἶναι δεῖ.* Legatur:.... *Αἴγλης· Αἴγλη δὲ ἥλιος κτέ.* — *Pag.* 357. 19: *Αἰωνίζει: διὰ παντός.* In fine glossae verbum' periit. Scribendum: *διὰ παντὸς μένει.* — *Pag.* 389. 28: *Ἀμωσγέπως: ὁπωσδήποτε, ἔν γέ τινι, καθ' ὀντιναοῦν τρόπον.* Legendum est *ἐνί γέ τινι τρόπῳ* et hic et eo loco, unde sua furatus est Grammaticus adeo plumbeus et stipes, ut, quo vitio laborarent, non agnosceret, apud *Schol.* Plat. *Phaedr.* 228. C. De ipsa locutione uberrime, ut solet, exposuit Ruhn-

KENIUS ad *Tim.* 29 [5]. — *Pag.* 405. 27. Ἄνθεια: ὄνομα ἑταίρας· τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ θ Ἄντεια γράφουσιν. Leg. ἀντὶ τοῦ θ διὰ τοῦ τ. — *Pag.* 404. 17: Ἀνθυπώμοσα· ἀντὶ τοῦ ὑπ .... ὑπωμοσίᾳ. Scriptum erat ἀντὶ τοῦ ὑπειπεῖν τῇ ὑπωμοσίᾳ. — *Pag.* 406. 26: Ἀντίδοσις ..... ἢ οὐκ ἐθέλοντα λειτουργεῖν καὶ τοῦτο καλεῖται ἀντίδοσις. Est lacuna ex iis, quae nasci solent, quum uno eodemque vocabulo in eadem sententia bis redeunte librarii oculi a priore ad posterius aberrabant. Scribendum est: ἢ οὐκ ἐθέλοντα λειτουργεῖν ἀντιδοῦναι τὴν ἑαυτοῦ καὶ τοῦτον ἀντιλαβόντα λειτουργεῖν. *Vid.* BEKK. *Anecd.* p. 197. 5. Egit de huiusmodi lacunis BAST. ad *Greg. Corinth. pag.* 181. Qui exemplis ibi commemoratis addere potuerat, quod VILLOISONUS commisit in *Schol.* HOM. *Il.* E. 458. Exponit Scholiasta de cognominis Κύπρις etymo: ἔστι γοῦν, inquit, κατὰ συγκοπὴν εἰρημένον, κυοπόρις, ἡ τὸ κυεῖν πορίσκουσα. Ἴδιον γὰρ τῆς Ἀφροδισιακῆς συνουσίας. At exstabat in Codice *Veneto B*, quod BEKKERUS e *Codice Lugdunensi* suppleverat: ἴδιον γὰρ τῆς Ἀφροδίτης τοῦτο. οὐ γὰρ ἄλλως γυναῖκες κυίσκουσι χωρὶς τῆς Ἀφροδισιακῆς συνουσίας. In eodem Scholio et apud BEKKERUM et apud VILLOISONUM omissum est, quod doctorum cura fortassis haud ita est indignum, quam haec hallucinantis Grammatici commenta etymologica. Legitur: καὶ γὰρ εἰ σπανίως Ἑλικώνιον τὸν Ποσειδῶνα εἴρηκεν ἀπὸ Ἑλίκωνος, ἐπεὶ ἡ Βοιωτία κτἑ. Sed in Codice *Veneto B* exstat ἀπὸ Ἑλίκωνος, ὡς ὁ Ἀρίσαρχος βούλεται, ἐπεὶ κτἑ. — *Pag.* 411. 28: Ἀνύττειν: οἱ Ἀττικοὶ, ὅπερ ἡμεῖς· ἀνύειν δὲ τὸ σπεύδειν. Lege ὅπερ ἡμεῖς ἀνύειν· ἀνύειν δὲ τὸ σπ. — Ad eam normam apud MOERIDEM pag. 62 PIERS. pro ἀνύσας λέγε corrigendum esset ἀνύσας λέγε· συνελὼν λέγε (leg. συνελόντι λέγε). Ἑλληνικῶς. Sed falsus est Grammaticus. Est enim certum discrimen utramque inter locutionem. Ἀνύσας λέγε significat *dic statim*, συνελόντι λέγε, *dic paucissimis.* — *Pag.* 419. 27: Ἄπεδον: τὸ ἰσόπεδον καὶ τὸ ὁμαλὸν· Θουκυδίδης. τὰ ἰσόπεδα.

---

[5]) Apud PLUTARCHUM, *de Curiositate* pag. 515. E: ἐπεὶ τοίνυν ἐστί τινα πάθη νοσώδη καὶ βλαβερὰ καὶ χειμῶνα παρέχοντα τῇ ψυχῇ καὶ σκότος, ἄριστον μὲν ἐξωθεῖν ταῦτα καὶ καταλύειν εἰς ἔδαφος ..... εἰ δὲ μὴ, μεταλαμβάνειν γε καὶ μεθαρμόττειν ἄλλως γέπως περιάγοντας ἢ στρέφοντας legendum esse videtur ἅμως γέ πως.

Κλείδημος: καὶ ἠπέδιζον τὴν ἀκρόπολιν, περιέβαλλον δὲ ἐννεάπυλον τὸ Πελαργικόν. THUCYDIDIS locum excitat SUIDAS i. v. ἄπεδον (THUC. VII. 78). Idem CLITODEMI verba affert, sed alio loco i. v. ἠπέδιζον. Grammaticum nostrum scripsisse probabile est: Θουκυδίδης ἄπεδα τὰ ἰσόπεδα. καὶ ἀπεδίζω τὸ ὁμαλίζω. Κλείδημος κτέ. Eiusdem generis lacunam visus mihi sum offendisse apud PHOTIUM i. v. Ἐρίῳ στέψαντες: ἀντὶ τοῦ στέμμα περιθέντες· Πλάτων Πολιτείας ι, quae glossa totidem verbis legitur apud SUIDAM. Sed primum legendum est ἀντὶ τοῦ στέμμα ἐρίων περιθέντες, deinde ι locum cedat literae γ, quum PLATONIS locus sit *Rep.* III. 398. A. Nullus omnino est scriptor, qui ab huius generis librariorum παροράμασι prorsus sit immunis. In LUCIANI *Iove Tragoedo* 15, cuius dialogi textum emendatum hoc ipso anno edendum curabo, Iupiter Mnesithei naucleri ἀντιόων ἑκατόμβας, Athenas se contulerat; sed ille, quae periculis circumventus pollicitus erat non amplius recordatus, haud nimis lautas et opiparas dapes Diis paraverat; itaque indignabundus Iupiter adspicit viri τὴν σμικρολογίαν, ὃς ἑκκαίδεκα θεοὺς ἑστιῶν ἀλεκτρυόνα μόνον κατέθυσε, γέροντα κἀκεῖνον ἤδη καὶ κορυζῶντα. Periit loci lepos, nisi mecum revocabis, quod vocabuli sequentis prima syllaba absorbillavit, α' ἀλεκτρύονα h. e. ἕνα ἀλεκτρυόνα μόνον. De vocabulis μόνος et εἷς coniunctis dignus est qui evolvantur SCHAEFER., *Melet. Cr. pag.* 19. Eodem vitio vide an non laboret HERODOTUS, III. 134: σὺ δέ μοι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατεύεσθαι. Malim ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα πρῶτα στρατεύεσθαι. Oppositionis, quam dicunt, vis est sublata apud XENOPH. *Hier.* VI. 8: Οἷα μέντοι σοὶ τότ' ἦν τὰ λυπηρὰ, τοιαῦτ' ἐστὶ τὰ τῶν τυράννων καὶ ἔτι δεινότερα. Credo XENOPHONTEM dedisse: τοιαῦτ' ἀεί ἐστι. Insigniter depravatus est eiusdem XENOPHONTIS locus *Oeconomico* XX. 14: Δοκεῖ δέ μοι ἡ γῆ τοὺς κακούς τε κἀγαθοὺς τῷ εὔγνωστα καὶ εὐμαθῆ πάντα παρέχειν ἄριστα ἐξετάζειν. Οὐ γὰρ ὥσπερ τὰς ἄλλας τέχνας τοῖς μὴ ἐργαζομένοις ἔστι προφασίσασθαι, ὅτι οὐκ ἐπίστανται. γῆν δὲ πάντες οἶδασιν (leg. ἴσασιν) ὅτι εὖ πάσχουσα εὖ ποιεῖ. Ἀλλ' ἡ ἐν γεωργίᾳ ἐστὶ σαφὴς ψυχῆς κατήγορος κακῆς. Et ex iis quae praecedunt et ex iis quae sequuntur necessario mihi quidem videtur consequi, XENOPHONTEM non aliter scribere potuisse, atque ἀλλ' ἡ ἐν γεωργίᾳ ἀργία ἐστὶ σαφὴς ψυχῆς κατήγορος κακῆς. Quae corruptela

unde nata sit in aprico est. Cf. Isocr. *Areopag.* 44: *τοὺς μὲν γὰρ ὑποδεέστερον πράττοντας ἐπὶ τὰς γεωργίας καὶ τὰς ἐμπορίας ἔτρεπον, εἰδότες τὰς ἀπορίας μὲν διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας, τὰς δὲ κακουργίας διὰ τὰς ἀπορίας.* Defungar hacce officii mei parte, Aeliani [6] addito loco, quem nescio utrum lacunosum dicam an ita corruptum, ut librarium in compendio quodam legendo dicas lapsum esse. Valet de Aeliani *Variis Historiis*, quod de eiusdem *Historia Animalium* dixit Valckenaerius, in *fragm.* Callim. p. 206, in opere elegantissimo (?) centena adhuc esse vitiata, quibus Trilleri et Abrahami Gronovii certe non fuerint emendandis. Λαλεῖ secundo primi libri *V. H.* capite de araneis, quas dicit texendi artem a nemine fuisse edoctas. *Ἦ τίποτ' ἂν καὶ χρήσαιτο τῷ τοιῷδε ἐσθήματι τὸ τοιοῦτον θηρίον; τίδε ἄρα πάγη καὶ οἱονεὶ κύρτος ἐστὶ τοῖς ἐμπίπτουσι.* Operae pretium est Gronovii evolvere editionem, ut videas, quid in illo loco deliraverint editores, vel ipsum Perizonium dixeris aliud egisse, quum suas in Aelianum notas conscriberet. Sed nil aliorum opus est annotationibus, ut reddamus Aeliano quod scripserat *τὸ δὲ ἀράχνιον πάγη κτέ.*

Revertendum iamiam ad id, quod ab initio nobis proposueramus, ut ordine percurreremus *Anecdotorum* librum, additis hic illic ex nostro qualicumque penore in alius generis scriptoribus emendationibus et correctiunculis.

Pag. 366. 18: *Ἀκριτόμυθος: πολύλογος, ἀδιακρίτους ἔχων τοὺς λόγους.* Est *λέξις Homerica Il. B.* 246, quam iisdem verbis apud Suidam est legere. At utroque loco corrigendum est *ἐκχέων τοὺς λόγους.* Cf. speciosum Sophoclis fragmentum, quod Stobaeus servavit XVIII, 1:

Τί ταῦτ' ἐπαινεῖς; πᾶς γὰρ οἰνωθεὶς ἀνὴρ
ἥσσων μὲν ὀργῆς ἐστι, τοῦ δὲ νοῦ κενός·

---

6) Haud ita multo postquam typis mandata erant, quae superiore fasciculo de hoc eodem argumento disputaveram, *Lugduno* allata mihi sunt C. L. Struvii, *Opuscula selecta*, quae Luciani causa donum mihi erant exoptatissimum. De loco Aeliani, *Var. Hist.* I. 21, ubi *παίζων* in *περσίζων* mutandum esse conieceram, idem video Struvio in mentem venisse. Quod eo magis laetor, quo minus amicissimum Kiehl, quum de hoc Aeliani loco cum eo disputarem, in meam sententiam trahere potueram.

φιλεῖ δὲ πολλὴν γλῶσσαν ἐκχέας μάτην
ἄκων ἀκούειν οὓς ἑκὼν εἶπεν λόγους.

Pag. 371. 1: Ἄκασκα: ἥσυχα φαρδέα. Κρατῖνος Νόμοις. Barbarum vel potius nihili vocabulum pellendum est scribendo: ἥσυχα, βραδέα. Idem vocabulum revocandum est in corrupta MOERIDIS glossa in voce βαδίζειν: Ἀττικῶς βραχύ. PIERSONUS MOERIDEM hoc sibi voluisse censet, secundam verbi βαδίζειν syllabam brevem esse apud Atticos. Sed quum βαδίζειν ubique secundam producat apud Poetas Atticos, quid MOERIS sibi voluerit hac observatione, sibi non satis esse exploratum confitetur. Neque magis mihi quidem exploratum est, quorsum BEKKERI spectat coniectura, βραχέως legentis. MOERIDEM scripsisse arbitror: βάδην, Ἀττικῶς: βραδέως (Ἑλληνικῶς). Eodem artificio utendum est in loco LUCIANI, *de Parasito* § 14; quam coniecturam meam dubitanter propono, non quo mihi ipsi eam non persuaserim, sed quod neminem virorum doctorum, qui pulcherrimum libellum annotationibus illustrarunt aut sospitarunt emendationibus, in eis verbis miror haesisse. Καὶ μὴν αἱ ἄλλαι τέχναι τὸ ὕστερον τοῦτο ἔχουσι μετὰ τὸ μαθεῖν καὶ τοὺς καρποὺς ἡδέως ἀπολαμβάνουσι. πολλὴ γὰρ »καὶ ὄρθιος οἶμος ἐς αὐτάς"· ἡ δὲ παρασιτικὴ μόνη τῶν ἄλλων εὐθὺς ἀπολαύει τῆς τέχνης ἐν αὐτῷ τῷ μανθάνειν, καὶ ἅμα τε ἄρχεται καὶ ἐν τῷ τέλει ἐστίν. Hoc artem parasiticam gloriatur praeterea sibi habere peculiare et praeclarum emolumentum, quod ad eam non aspera semita pergendum esset et surgendum, sed quod, qui ei se dedicaret, inter discendum fructus statim posset percipere. Requiritur si quid video, adverbium, quod τῷ εὐθύς sit oppositum. Hoc habebis, ubi mecum revocaveris καὶ τοὺς καρποὺς βραδέως ἀπολαμβάνουσι. Unum WIELANDUM, cuius versio Germanica LUCIANI est doctissimi Commentarii instar, simile quid videtur esse suspicatus, quum ita Graeca verteret: »*Sodann »ist der Genuss bei den übrigen Künsten Etwas, das erst aufs Ler»nen folgt: sie tragen Früchte, aber erst als späte Belohnung der »vorhergegangenen Arbeit, und der Weg dazu ist lang und steil.*"

Pag. 375. 6: Ἀλείτης· ἁμαρτωλός, πλανήτης. Altera explicationum additarum aperte est falsa. Scriptum erat, opinor: Ἀλείτης ἁμαρτωλός, ἀλήτης, πλανήτης. Vitium inde est natum, quod η et ει inter se confusis nullum inter utrumque

vocabulum discrimen apparebat. Quo vitio, *ει*, *ι*, *η*, *αι*, *ε* etc. inepte esse confusa, nullum esse quod latius pateat, nemini dubitatur. Cuius corruptelae innumera iam sunt demonstrata exempla, at vix minor numerus superest emendandus; quorum nonnulla, ut videar et ipse *κυλίειν τὸν πίθον*, dabo correcta, ab ipso Bekkeri *Grammatico* initio facto. — *Pag.* 381. 7: *οἱ τὰ ἄλφιτα ποιοῦντες* appellantur *ἀλφιστεῖς*; quos rectius *ἀλφηστεῖς* dices. — *Pag.* 390. 20: editum est: *ἀναίδην. ἀθρόως, σφοδρῶς.* Est *Scholium Platonicum Hipp. pag.* 308. A, quo explicatur vocabulum *ἀνέδην*. — *Pag.* 396. 12: *Ἀνειλήθυιαν*: *ἄτοκον*, corrigatur *ἀνειλείθυιαν*. — *Pag.* 398. 25: *Ἀνεσίμου*: *ἀνήλισκε, κατεδαπάνα*, leg. *ἀναισίμου*. — *Pag.* 421. 18: *ἀπενιαυτίσαι*: *ἐνιαυτῷ φυγεῖν τὴν πατρίδα ἐπί τισιν ἀδικήμασιν.* E *Scholiasta* Plat. *Legg.* IX. pag. 866. C. restituendum est *ἀπενιαυτῆσαι*, atque idem vitium Suidae adimendum i. v. — *Pag.* 423. 21: *Ἀπευήκασι*: *ἀπεξηρασμέναι εἰσίν*, leg. *ἀπηυήκασι*. — Eodem pertinent, quae vitiata sunt in Phrynicho Bekkeri, *pag.* 10, 15: *ἀλωπεκῆσαι*: *ἐξαπατήσαντα διαδρᾶναι.* Leg. *ἀλωπεκίσαι.* — *Pag.* 31. 16: *γῆ εὐήλιος*: *ἡ ἀεὶ ἡλιουμένη* pro *εὔειλος*. Cf. pag. 347. 32, ubi corrigatur *εἵλης* pro *ἕλης*. — Photius eiusdem generis peccatis scatet, quorum potiora quaedam delibavit Cobetus, *Var. Lect.* pag. 4. Paucula quaedam iis addere libet. Phot. *pag.* 29. 9: *Εὔειρον*: *εὐέριον*. Leg. *εὔερον*; *pag.* 138. 1. *Καταχρῆσαι*: *καταχέαι*. duplici errore pro *καταχρῖσαι*; *pag.* 162. 12: *Κηρυκίνην γυναῖκα κηρύττουσαν λέγουσιν.* Leg. *κηρύκαιναν*; *pag.* 274. 4: *μετὰ τοὺς λ' δέκα ἄνδρες ἦρχον ἐν τῷ Πειραιεῖ· ὧν εἷς ἦν ὁ Μόλπης.* E Suida et Harpocratione viro suum nomen est *Μόλπις* restituendum. E compluribus exemplis, quae deinceps referre vix operae est pretium, unum addo *pag.* 646. 7, 8, 9, ubi tribus glossis *φθεῖσθαι*, *φθεῖναι* et *φθείσεται* scripta exstant pro *φθίσθαι*, *φθῆναι* et *φθήσεται* et, paucis interpositis versibus, eiusdem paginae v. 14 *φθείσονται* pro *φθίσονται*. Apud Moeridem eodem credo librariorum stupore *pag.* 76 (Piers.) forma *Ἀνακεῖον* cedere coacta est soloeco *Ἀνάκιον*, atque apud eundem *pag.* 88 *αὐλεία θύρα* abiit in *αὐλίαν*. Hisce iam correctis vitiis in scriptoribus, qui quo sunt ieiuniores eo faciliorem emendaturo operam reddunt, eodem artificio in aliquot melioris notae scriptoribus utar. Apud Lucianum in *Iov*

Trag. 12 Iupiter litem inter Deos ortam de loco, quem unumquemque in concione deceret occupare, in praesenti componere detrectat. Διατρίβομεν, ὦ Ἑρμῆ, πάλαι δέον ἐκκλησιάζειν· ὥστε νῦν μὲν ἀναμὶξ καθιζόντων, ἔνθ' ἂν ἕκαστος ἐθέλῃ, ἐσαῦθις δὲ ἀποδοθήσεται περὶ τούτων ἐκκλησία, κἀγὼ εἴσομαι τότε ἥντινα χρὴ ποιήσασθαι τὴν τάξιν ἐπ' αὐτοῖς. Ita respondere Iove est indignum, neque enim se nescire, quo ordine sint collocandi, fatetur, sed iam talibus pretiosum otium non esse terendum et intervertendum admonet. Quam ob causam, olim scriptum fuisse autumo κἀγὼ φήσω τότε. Eadem observatio prosit loco Xenophontis in *Memoralibus* IV. IV. 24, olim recte in editionibus expresso, sed a recentioribus editoribus, si recte iudico, pessumdatus. Ita enim Dindorfius: Νὴ τὸν Δία, ὦ Σώκρατες, ἔφη, θείοις ταῦτα πάντα ἔοικε· τὸ γὰρ τοὺς νόμους αὐτοὺς τοῖς παραβαίνουσι τὰς τιμωρίας ἔχειν βελτίονος ἢ κατ' ἄνθρωπον νομοθέτου δοκεῖ μοι εἶναι, recepto θείοις ex uno vel paucis quibusdam Codicibus, dum vulgatum erat θεοῖς, quod retinendum esse censeo, nisus locis, quales complures me legere memini, quorum hoc temporis momento unus tantum in promptu est, lectus mihi apud Philostratum, *Heroic.* *p.* 726: τὸ γὰρ γινώσκειν ταῦτα θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώπῳ ἔοικεν [7]. Librariorum in ipsis his exarandis vocalibus socordiam sexcenta vitia Grammatica, quae vocant, in Graecos textus introduxisse, manifestissimum est. E quibus vix alterum novi turpius, quam quod toleratur in versiculo, quem Plutarchus laudat *de Garrulitate pag.* 514. B: Φίλαυτος γὰρ ὡς καὶ φιλόδοξος ὁ τοιοῦτος

Νέμει τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος,
ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνῃ κράτιστος ὤν.

Lapsus est librarius in particula ἵνα, cuius unam tantum significationem habebat in numerato. Rescribendum est τυγχάνει, ut sana fiat sententia atque syntaxis salva evadat. De syllabis

---

7) Apud Plutarch., *d. compar. Aristoph. et Menandri.* pag. 853. D: ἀλλ' ὥσπερ ἀπὸ κλήρου ἀπονέμει τοῖς προσώποις τὰ προστυχόντα τῶν ὀνομάτων, καὶ οὐκ ἂν διαγνοίης, εἴτε υἱός ἐστιν, εἴτε πατήρ, εἴτ' ἄγροικος, εἴτε θεός, εἴτε γραῦς εἴτε ἥρως ὁ διαλεγόμενος revocaverim ἄνθρωπος.

finalibus sententiae Grammaticaeque detrimento corruptis alius dabitur exempla quae satis multa collegi proponendi locus.

(*Continuabuntur.*)

Briellae, mense Martio MDCCCLV.

E. MEHLER.

SCHOLIEN OP HOMERUS.

Bij den *Scholiast* op HOM. *Il.* Γ. 401 staat: Μήονες ἐκαλοῦντο οἱ Λυδοὶ τὸ παλαιὸν, εἶτα Λυδοὶ ἀπὸ Λυδοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φησιν Ἡρωδιανός. Wanneer men *scholia* leest als bijv. E. 297, dan zou men welligt meenen, dat ook eene opgave als deze wel uit zijn boek kon gevloeid zijn. Maar HERODOTUS wordt in deze *Scholia* zoo dikwijls geciteerd en zijn naam is met dien van HERODIANUS zoo dikwijls verwisseld, dat het veel waarschijnlijker is dat alhier bedoeld wordt, hetgeen hij in het zevende hoofdstuk van het eerste boek mededeelt en dat zijn naam derhalve bij den Scholiast dien van den beroemden *Grammaticus* vervangen moet. In hetzelfde hoofdstuk zegt HERODOTUS, dat de *Heracliden* over *Lydië* geregeerd hebben twee en twintig menschengeslachten of vijfhonderd vijf jaar; ongetwijfeld moet hier πέντε in πεντήκοντα veranderd worden; HERODOTUS rekent dan ieder geslacht op juist vijf en twintig jaar. Maar dit ligt zoo voor de hand, dat het wel reeds opgemerkt zal zijn.

Het *Scholion* op HOM. *Il.* B. 194 wordt gelezen: εὐλάβεια γὰρ ἦν μὴ ὑπονοήσωσιν οἱ Ἕλληνες ὅτι διὰ τὴν πρὸς Ἀχιλλέα στάσιν τὸν ὄνειρον πράσσει, ὅπερ οὐ βασιλικόν. Mij dunkt, dat hier oorspronkelijk stond πλάσσει. Men vergelijke, des noodig, *Schol.* Υ. 40, μ. 61, enz.

In het *Scholion* op HOM. *Od.* δ. 309 wordt λιπαροῖσι verklaard door: στερροῖς, ταχυτάτοις; is dit welligt slechts een drukfout in plaats van παχυτάτοις? Men zie slechts HESIOD. *Op.* 499. Van denzelfden aard is wat ζ. 40 bij ἀπὸ πλυνοί εἰσι πόληος staat aangeteekend: αἱ πληγαὶ, οἱ τόποι ἐν οἷς πλύνουσι τὰ ἱμάτια. Niemand kan twijfelen of er moet staan πηγαί.

S. A. N.